

Emmenologia: in qua fluxus muliebris menstrui phaenomena, periodi, vitia cum medendi methodo, ad rationes mechanicas exiguntur / Authore, Joh. Friend [sic].

Contributors

Freind, John, 1675-1728.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : J. Vander Aa, 1720.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cde2jwn4>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



198.

16975. 2f. (19)

3,506/B

J. X. m.
18

no. 12. J. T. P. 11. 06

G
b^r r

10

10

EMMENOLOGIA.

AUTHORE

JOH. FRIEND M. D. Col. Med. Londin.
& Societatis Reg. Soc.

John Friend

Imprimatur.

GUL. DELAUNE.

Vice-Can, Oxon.

Novemb. 1. 1703.

EMMENOLOGIA:

IN QUA

Fluxus Muliebris Menstrui

PHÆNOMENA,

PERIODI, VITIA,

CUM

MEDENDI METHODO,

AD

RATIONES MECHANICAS

Exiguntur.

AUTHORE

*JOH. FRIEND M. D. Coll. Med. Londin.
& Societatis Reg. Soc.*

EDITIO TERTIA.

LUGDUNI BATAVORUM:

Apud Janssonios Vander Aa. MDCCXX.

EMMENOLOGIA:



Fluxus Mulierum Menstrui

PHÆNOMENA,

PERIODI, VITIÆ,

et

METHODI MEDICINÆ

et

RATIONES MECHANICÆ

Exiguæ.

AUTHOR

JOH. FRIED. M.D. Coll. Med. Londin.
& Societatis Reg. Soc.

EDITIO TERTIA.

LUGDUNI-BATAVORUM:

Apud Janssonius Vander Aa. MDCCK.



PRÆFATIO.



MISERA profectò videtur
& iniqua fœminarum con-
ditio, ut, quæ humani ge-
neris conservatrices à natu-
râ destinatæ sint, eædem morbis maxi-
mè obnoxie effingerentur. Quamcun-
que enim vitæ rationem sequantur,
paucæ sunt, quibus contingit doloris
expers & illibata sanitas: quippe si
conjugio fruantur, ex eo ipso leporum
fonte amari aliquid surgit, & longa
saltem tædia, si nihil asperius, secum
affert graviditas; si cœlibi otio se tra-
dant, vix ita sibi cavere possunt, quin
morbo aliquo laborent, ob id ipsum,

PRÆFATIO.

quia non fiunt gravida. Eæ enim sanguinis suppetiæ, quas in foetus usum atque alimentum accumulare debent mulieres, si paulò ultra debitum modum aut intus excrescant, aut foras profluant, mille in tenello corpore turbas excitant. Eo quidem artificio efformatur muliebris fabrica, ut certis quibusdam temporibus depleri possit ista sanguinis redundantia: infinita tamen indies obversantur mala, quæ salutare hoc naturæ opus interpellant; ita ut, ne, evacuatione hæc minùs rite perpetrâ, sua foeminis malè constet sanitas, ars in subsidium advocanda sit. Quæ cum ancilla quædam & ministra sit, quæ naturæ opus, siquid obstaculi intervenerit, promoveat atque expediat; nisi agendi modum, quo utitur natura, accuratè intellexerit, ita parum illius conatibus auxilio erit, ut vix potuerit non admodum officere. Investigato autem naturæ tramite, ars siquando eam sequi atque æmulari velit, nullo errore huc illuc temere vaga-

vaga-

PRÆFATIO.

vagabitur, sed ad metam rectà contendet.

In hâc quidem, quam aggredimur, disquisitione non utili minùs quàm jucundâ, elaborârunt seculorum pene omnium ingenia: sed ut nullum ferè est argumentum, de quo plura scribunt medici; ita nec ullum, in quo lectori minùs satisfaciunt. Quâ in re quòd tam infeliciter cesserit viris tum doctrinâ tum studio ad hanc rem satis instructis, nullam aliam causam reperio, nisi quòd abstrusissima quæque principia & maximè recondita sequerentur; simpliciora verò, & quæ quasi ante pedes jacuerunt, aut non viderent, aut contemnerent. Ita cùm ingenio suo abrepti, in rebus admodum obscuris immorarentur, non mirum est, si suorum potiùs somniorum fuerint, quàm naturæ interpretes. Hæc facile sentiet, siquis eos, qui de mensibus ad satietatem usque scripserunt, authores pervolvat; qui quidem fere omnes iis ratiociniis mensuræ

P R Æ F A T I O.

fium naturam explicant, quæ ipsa debuerant, nec tamen possunt, explicari. Talia sunt eorum, qui à lunæ phasibus, aut archæo, aut fermento quodam menses deducunt, commenta. Quòd si naturæ vestigia fideliter legamus, ipsa nobis se ultro indicabit; neque unquam æquè feliciter innotescet corporis humani machina, ac si leges eas, quas Mechanicis h. e. suis motibus præscripsit natura, consulamus. Hisce enim principiis unicè inniti debent vera Phyzices fundamenta: quibus quicquid superstruxeris, id non modò simplicitate suâ legentis studium excitabit, sed evidentiâ etiam assensum coget.

Dolendum sanè est Theoriam Medicinalem, quæ in multis saltem eâdem certitudine ac Geometria elaborari potest, uti ferè in authorum scriptis tractatur, non modò conjecturalem videri, sed & absurdam; in quibus quidem eæ, quæ de morborum causis finguntur, Hypotheses, ita parum ad
seve-

PRÆFATIO.

severiore[m] rationis normam accedunt, ut præclarè satis actum sit, si non sensui planè repugnent. Multa sunt, quæ ingenuum hunc medicinæ fontem contaminârunt; nihil tamen penitiùs inquinavit, quàm infamis iste, qui in artem medicam dudum irrep[er]sit, Chymix[is] abusus: abusus inquam, quia si intra proprios limites consistat Chymia, nullum humanis commodis æquè inservit Instrumentum, nullum vel citiùs, vel efficacius morbos abigit. Hujus quippe provincia est, pharmacis eleganter concinnatis & quasi contractis medicinam Practicam ditare: quòd si ulterius excurrat Chymia, & ad morborum Theoriam sua accommodet principia, ingenia alioquin peracuta in errores agit, & vanâ scientiæ imagine deludit. Quid enim ea aut in causis morborum ritè explicandis, aut symptomatis feliciter curandis præstare possunt principia, quæ ita nulla sunt, ut in animo quidem philosophantium locum fortasse habeant, in rerum tamen naturâ

PRÆFATIO.

naturâ minimè existant? De quibus etiam inter ipsos disciplinæ hujus fautores nondum convenit. Utcunque verò commentitia fuerint Chymicorum elementa, à plerisque tamen ad morborum cognitionem illustrandam adhibentur: eo utique successu, ut non plus commodi Praxi medicæ, quàm Theoriæ detrimenti intulerit Chymia. Ita arti per se satis rationali offecit, uti hætenus tractata est, Philosophia Chymica: cujus tamen penitior scientia ita medicinæ prodesse poterit, ut si ad Mechanicas rationes exigatur, (quod fieri aliquando posse non desperandum est) nihil sit, quod etiam Theoriæ illustrandæ magis inserviturum videatur.

Sed huic de morbis scientiæ, depravatæ admodum & pene intermortuæ, medicas tandem manus adhibuit, vir studii atque ingenii admirabilis, Bellini: qui quidem in artem medicam introduxit sanius quoddam ratiocinandi genus, ex Mechanices at-
que

P R Æ F A T I O.

que Anatomix fontibus depromptum. Eam utili Theorix facem prætulit, quæ & hodie ad hoc studium præclara quædam ingenia excitavit, & si rectè auguramur, felicibus posterorum coeptis prælucebit. Etenim hinc omnino investiganda est vera morborum, tum causa, tum indicatio; hujusmodi quippe principia non modò certa & naturæ maximè congrua reperiuntur, sed & intellectu etiam facillima. Optandum esset ut provinciam hanc susciperent, quibus medicinæ palma, ab exteris etiam, ultro concessa est, medici nostrates; famamque eam, quam in curatione morborum illustrandâ jure obtinuit, in Theoriâ quoque excolendâ sibi vindicaret Anglia. Eam quippe desideramus Theoriam, quæ à Praxi felicissimâ sit deducta, ad eamque rursus accommodata: quæ cum hætenus ferè nuda fuerit & more tantùm philosophico descripta, hodie fortè minùs æstimatur; dum ii qui rationem illam, quâ ad Praxin applicanda sint elementa

PRÆFATIO.

elementa Mechanica, parum perspiciunt, ea ne omnino quidem applicari posse arbitrantur.

Quòd si ex elementis hisce Mechanicis optimè educatur Theoria medica, Muliebrium certè, siqua alia, morborum causa haud ita difficilis est, quin magnâ saltem ex parte perspici atque illustrari queat. Et sanè operam nostram nullum æquiùs postulat argumentum, quàm ut morbis istis quàm certissimum remedium excogitemus, qui cùm in foeminis gravissimos dolores excitant, tum in nobis etiam, qui humanitati pariter & medicinæ studemus, non vehemens minùs curandi studium excitare debent. Cùm autem universi ferè, quibus mulieres laborant, morbi ab aliquo mensium vitio, uti rectè notat Hippocrates, deriventur; hoc haud malè collocâsse videbor, si mensium naturam paulò luculentius, quàm hactenus in libris tractatam reperio, explicare sim aggressus. In quo quidem opusculo nihil reconditum, nihil à
communè

P R Æ F A T I O.

*communi sensu longiùs remotum reperiet
lector: siquidem id mihi unicè curæ
fuit, ut veritatem, quàm maximè pos-
sem, assequerer; quæ quo magis ob-
via & familiaris fuerit, eo solet esse ac-
ceptior.*


C A P.





I N D E X

C A P I T U M.

1.  *E Purgationis menstruæ naturâ.* Pag. 1
2. *Variæ de mensibus opiniones recensentur.* P. 3
3. *De Plethoræ causis, & quare fiat in Foeminis.* p. 12
4. *De Structurâ Uteri & Vaginæ.* P. 19
5. *De modo quo menses movet Plethora.* p. 21
6. *Argumenta contra Plethoram reselluntur.* P. 30.
7. *De Periodis.* p. 36
8. *Phænomena mensium explicantur.* P. 47
9. *De*

9. *De iis quæ aut citiùs cient, aut diu-
tiùs retardant menses.* p. 58
10. *De Symptomatis quæ à suppressis
mensibus oriuntur.* p. 66
11. *De methodo in Suppressis mensi-
bus Therapeuticâ: cui subnectun-
tur Historiæ.* p. 95
12. *De Symptomatis quæ à mensium
fluxu immodico oriuntur.* p. 127
13. *De Methodo in fluxu mensium im-
modico Therapeuticâ: cui adjici-
untur Historiæ.* p. 135
14. *De Remediorum Viribus & Ope-
ratione.* p. 147



9. De iis que aut cura sunt, aut san-
tibus tractantur. p. 78
10. De experimentis que in Hippocrate
methodo continentur. p. 88
11. De methodo in Hippocrate
des Therapeuticis: cui subiectum
est in Historia. p. 97
12. De Experimentis que in Hippocrate
methodo continentur. p. 127
13. De Methodo in Hippocrate
des Therapeuticis: cui subiectum
est in Historia. p. 137
14. De Remediis in Hippocrate
des Therapeuticis. p. 147





C A P. I.

De Purgationis Menstruæ naturâ.

PURGATIO *menstrua*, sive fluxus sanguinis ab utero singulis mensibus emanans, periodos suas communiter inchoat *secundo septenario*, terminat *septimo*, sive numeri septenarii quadrato: *communiter* dico, quia nonnullæ sunt mulieres, in quibus tardiùs inchoatur fluxus; pauca etiam, quas multò ante annum decimum quartum invadit; aliæ rursus, quas post quadragesimum novum non deserit: memorantur præterea foeminæ menstruis prorsus immunes.

Evacuati sanguinis *quantitas* pro varietate temperamenti, victûs, ætatis &c. diversa est: in sanis tamen & adultis vulgò assurgit ad uncias viginti, quibus convenit mensura ab *Hippocrate* assignata, duæ scilicet *Heminæ*^a. Nec minor est in *qualitate* diversitas; aliquando enim ad *Lympham* propiùs, quàm ad sanguinem accedit humor menstruus: in sanis verò reperitur *rubicundus* valde & *floridus*, qualis (uti idem notat *Hippocrates*^b) è venâ sectâ Vi-

^a *Morb. Mul. lib. I. f. 15.*

^b *Ibid.*

Etiam recenter macerata cruor effluit. Qui tamen nonnunquam ita vitatur, ut pene inter venena referendus sit: sed hoc non proprio ipsius vitio debetur, sed admixtis fordibus & aliunde ducto contagio. Qui aliter censet, Authorum de hac re argumenta consulat.

Eadem est *Periodorum* inconstantia; est enim ubi die 27 aut 20, est ubi *bis* in mense, uti in *salacibus* observat *Duretus*^a, etiam aliquando absque sanitatis noxa^b. Est demum, ubi *ne semel* in mense redit periodus: quæ tamen frequentissimè singulis *mensibus* recurrit. Pari modo se habet fluxus *duratio*: in aliis enim *trium*, in aliis *quatuor*, in nonnullis non nisi *sex* dierum spatio terminatur: plerumque tamen *triduo* absolvitur^c.

Hæc omnia phænomena in sequentibus locis erit expendere; nunc ad ea, quæ sub mensium fluxu ferè solent accidere, veniendum est.

Instante fluxu, in puellis saltem nondum purgatis, hæc præcipuè observantur symptomata, *Dolor & æstus partium vicinarum, ad lumbos præsertim & coxas*, aliquando etiam *inflammatio, cephalalgia, appetitus remissio, crurum lassitudo*; durante profluvio, invadit sæpe *nausea & languor*.

In *Biliosis* temperamentis paulò maturiùs fluunt menses, citiùsque periodos suas faciunt; in puellis mollioribus & *minùs sanguineis* seriùs erumpunt. Ita si regio paulo cali-


^a In Holler. 255.

^b Panarol. Cent. 2. Obs. 41. Med. Septentr. p. 33.

^c Hipp. de Morb. Mul. 1. S. 15.

dior sit, anno uno aut altero septenarium secundum anteverunt; si *frigidior*, excedunt. In *prægnantibus*, etiam & ferè semper in *lactantibus* deficiunt; saltem tertio mense elapso non reperiuntur in gravidis. Ex *diuturniore morbo convalescentes* ægrè & non nisi tardè admodum revivunt. Fœminis *gulæ deditis* & genio liberius indulgentibus fluxus sæpe ad sextum diem & ultra extenditur; in *obesioribus*, & iis qui aut *tenui victu* aut *exercitio multo* utuntur, citius terminatur. Quantitas sanguinis evacuati ad *ætatis* usque *florem* augetur; *florente ætate*, æqualis permanet; *ætate* rursus *declinante* paulatim minuitur. In *junioribus* tenuior, in *senibus* crassior reperitur sanguis.

Varietatis hujusce ratio explicabitur in eâ, quam tractaturi sumus, periodorum doctrinâ.



C A P. II.

Varie de Mensibus Opiniones recensentur.

CAusas hujusce fluxûs, ad oceani morem stato tempore æstuantis, & studio investigârunt & scriptis tradiderunt medici, tum veteres, tum recentiores: infinitum esset quid de iis quisque senserit, referre; satis erit argumentorum capita depromere, ut, si illorum sententiæ nobis parum placeant, quid melius possit exquiri, videamus.

In *causis* igitur investigandis, alii *finalem*, alii *efficientem* assignant; nonnulli, uti *Galenus*, utramque.

Causa finalis fluxûs menstrui ab Authoribus statuitur, vel *mulieres ad concipiendum aptiores reddere*, vel *fœtui præbere nutrimentum*. Qui priorem sententiam amplexi sunt^a, menstruum fluxum ideo necessarium esse dicunt, ut sanguis à fordibus & recrementis purgatus, tum fœminas magis ad coitum impellat, tum semen feliciter excipiat. Huic argumento facile occurritur; neque enim in sanis sanguis ille, qui ejicitur, impurus est aut vitiosus, sed optimus & fragrantissimus: quippe non glandulæ alicujus ope secernitur, sed ex capillaribus arteriis erumpit, ideoque naturam arteriosi, h. e. *purissimi* sanguinis retinet. Quòd si hæc menstrua purgatio conceptui promovendo ita esset necessaria, nullæ certè conciperent mulieres, nisi quibus fluxerint *Menses*; quod quidem experientiæ & *Historiæ Medicæ* prorsus repugnat^b.

Alteram ex finalibus causis asserit *Galenus*, eique scriptores ferè omnes assentiunt; refragantur tamen nonnulli, & his duobus potissimum argumentis in *Galenum* insurgunt.

1°. *Ne guttulam quidem materni sanguinis ad fœtum derivari aiunt; quia scilicet neque ulla datur inter Vasa Uterina & Umbilicalia Anastomosis: neque fœtus sanguine, sed succo lacteo per os nutritur*^c: qui hoc asserunt, pari

^a Charleton, Sylvius. *Med. Septentr.* p. 30. Sennert. tom. 3. *Catamen.* p. 36. & 43.

^b Hild. l. 5. obser. 41. Bonet.

^c Charleton de

etiam ratione possent dicere infantes à materno sanguine non haurire alimentum, quoniam lacte, non sanguine nutriuntur. Unde verò id ipsum lac suppeteret, nisi ex materni sanguinis penu ad mammas deferretur? Jam in foetu nutriendo eadem valet ratio; siue enim ipso matris sanguine per arterias uterinas delato, siue liquore, qui in *Amnio* continetur, alatur foetus; utrinque facilè constat sanguinem maternum foetui alendo inservire: quis enim istius liquoris aliam investigabit originem, qui cum ex materno sanguine derivari neget? ita ut si concedatur foetum *per os* nutriri, quicquid fuerit pabuli, id omne à matre sit petendum. Foetum vero *per os* solummodo non nutriri, satis probant monstra sine capite in lucem edita, & nonnulli ore naribusque obturatis infantes: ulterius adhuc processit Medicorum^a in re Anatomicâ peritia, & foetum, placentâ intercedente, sanguine materno ali luculenter satis evicit. Exhibuit enim eam, (quam negant nonnulli^b) inter *vasa uterina* & *umbilicalia Anastomosis*: cum enim ovum in utero per septimanam unam aut alteram fluctuârit, ab eo, uterinâ lymphâ mollito & humectato, erumpunt protinus vasorum *umbilicalium* stamina, pari modo atque ex femine in terræ gremium immisso undique se diffundunt fibræ: hæc interiori uteri tunicæ ita se insinuant, ut vena umbilicalis arterias matris hypogastricas penetret, arteriæ verò umbilicales venis maternis inseran-

^a *Columb. Anatom. p. 460. Casser. Placent. Tab. 5.* ^b *Whar-*
ton, Charleton.

tur. Per hos aditus perennis inter foetum & matrem agitur sanguinis circuitus: scilicet umbilicalis vena arteriosum sanguinem à matre accipit, quem in foetûs usum ad venam cavam, adeoque ad cor deducat; uti arteriæ umbilicales sanguinem, nutriendo foetui parum idoneum, in venas maternas regerunt. Quòd si nulla per hæc vasa daretur nutritio, non modò pabulo suo defraudaretur foetus, sed ne tunicæ quidem, quibus obvolutus est, ullo modo possent nutriri.

2^{do}. Negant causam esse *finalem* sanguinis menstrui, ut foetui in nutrimentum cedat, *quia quantitas novem mensium spatio evacuata nimis exigua videtur, ut alendo foetui sufficiat*^a. Utrùm verò sufficere possit necne, hujusmodi edocebit calculus. In foeminis rectè se habentibus sanguis menstruus effunditur ad uncias viginti; ita quantitas novem mensibus effusa erit lib. 15. quia verò nonnunquam accidit, ut gravidis etiam, per tres saltem priores menses, fluant menstrua, licèt, modica valde & immixta, supponatur effusi sanguinis quantitas eâ proportionem decrescere, ut primo mense dimanet $\frac{1}{2}$ seu $\frac{2}{3}$ 10, secundo $\frac{1}{3}$ seu $\frac{2}{3}$ 6 $\frac{2}{3}$ tertio $\frac{1}{4}$ seu $\frac{2}{3}$ 5, postea verò omnino deficiat: unciis demum $21 \frac{2}{3}$ ex lib. 15. subductis, quantitas sanguinis residua, quam prægnans in foetûs nutrimentum commodare possit, erit lib. $13 \frac{2}{3}$ 2 $\frac{1}{3}$. quæ si cum recenti foetu atque involucris omnibus in trutinâ ponatur, excedet pondere; nullumque dubio locum relinquet, quin

^a Bayle dissert. de Mensib.

embryoni incrementum fatis idoneum largiri possit. Medium enim foetus recentis pondus est lib. 12, aliquando majus, frequenter etiam minus reperitur. Quod si praegnantis menses deficient, suppetunt ad alendum foetum lib. 15; quibus verò ultra uncias viginti assurgit fluxus, uti non rarò fit, eæ foetui, etiamsi monstrum sit, alimentum novimestre facilè ministrabunt.

Igitur non video cur à Galeni sententiâ recedendum sit, qui in *Definitionibus Medicis* hoc docet, τὰ καθαρῶτα παρέχει τῇ γυναικὶ πρὸς ὑγίαιαν ἐκκενῶμα. Ὁπιχεθέντα ἢ ἀπὸ τῆς σύλληψιν, τῶ ἐμβρύῳ τὸ τροφὼν παρέχει. *Tribuntur mulieri menstrua, quæ sanitatis gratiâ vacuentur; embryoni autem nutrimentum præbeant, per conceptum suppressa.* Quæ verba modò sint ritè intellecta, veritati optimè respondent. Ea enim quæ inter Scriptores multùm agitur quæstio, *An foetus scilicet menstruo sanguine alitur*, perridicula est & à sanâ, h. e. Galeni mente alienissima: quasi verò ille unquam crediderit foetum nutriri eo ipso sanguine, qui foras ejicitur: quasi non hoc potius voluerit, sanguinem in muliere *redundare*, ut non tantùm proprio corpori alendo fatis habeat, sed & concepto foetui *pabulum* insuper ministraret; ideo tamen per uterum extra gravitatem singulis mensibus expurgari, quoniam redundet: neque enim menses fluere, nisi redundaret sanguis, Galenum credidisse statim videbimus.

De *Efficiente* hujusce profluvii causâ non minùs inter se discrepant authores: dum alii Lu-

nam, alii *Fermentum* quoddam, alii denique *plethoram* statuunt. De his sigillatim pauca sunt dicenda, ut quænam ad veritatem propiùs accedat sententia, perspici queat.

Et 1^{mo} qui mensium causam à *Lunâ* petunt, hoc unico omnes ducuntur argumento, quòd fluxûs uterini periodus *Lunæ cursibus* respondeat, adeóque ad illius imperium dirigatur: quod sanè argumentum facilè & breviter convelli potest, si quis reponat menstruis periodos contingere *Lunæ* minimè congruentes, siquidem eæ frequentius *crescente* adhuc *mensè*, quàm *exacto* recurrunt. Quòd si huic profluvio præesset *Luna*, mulieres omnes, quibus eadem esset regio, ætas, atque temperies, eodem tempore, iisdemque vicibus ad menstrua ciceret: quod tamen ita parum fit, ut ne fieri quidem possit.

2^{do}. A *Fermento* quodam menstruorum causam deducunt ex recentioribus plerique^a; quod quidem, diverso licèt vocabulo obvolutum, idem est ac apud *Democritum fervor uterinus*. Statuunt nimirum colluviem menstruam per uterum purgari ope *fermenti*, quod in totâ universi sanguinis massâ diffundi censet *Graaffius*, *Bayléus* verò uteri indigenam agnoscit. Uterque *fermentum* hoc in *salibus* quibusdam situm esse contendit, qui motu suo sanguinis massam ita exagitant, ut stas quibusdam temporibus, singulis scilicet mensibus, acriùs effervescat, & per uteri vasa exitum quærat. Quomodo peragatur hæc *fermentatio*, aut cur his periodis vi-

^a *Graaff. Bayl. Etmuller.*

res suas exerat, argumentis lectori parum satisfaciunt, verbis admodum imponunt. Eorum enim sententia, quæ propria *singulis visceribus fermenta* tribuit, non modò circulanti sanguini, sed communi sensui repugnat. Ubi enim *fermentum* istud delitescit, ubi tam securo fruitur hospitio, ut ab humoribus præterfluentibus minimè turbari aut abripi queat? quòd si *fermento sedem in visceribus* largiamur, unde ei tanta suppetit supellex, ut perpetuis impendiis exhauriri nequeat? Desideraret certè novi fermenti suppetias, ut perenne hoc fermentandi munus obiret. Altera de *fermentis* opinio, quòd scilicet *totius sanguinis massa fermentescat*, à veritate æquè aliena est: sive enim ad *Chymicorum* mentem exponatur *fermentatio*, *actio scilicet mutua acidi & alkali*; sive latiùs sumpta ^a *partium motum intestinum denotet*, neutro modo sanguini competere potest: non priori, quia in sanguine deficit ^b *acidum*: non posteriori, quia fluidi cujusvis partes, quæ sub iisdem planis horizontalibus jacent, *æqualiter* premuntur, adeoque ad *quietem* se componunt, nisi novo aliquo impetu in motum cieantur. Ita si daretur aliquis in sanguine *motus intestinus*, brevi deficeret, nisi liquido, quod à corde immittitur, excitaretur denuo & revivisceret: quòd si à liquido, quod à corde influit, *motus intestinus* oriatur, satis constat alium in sanguine motum dari non posse, præter eum, quo continuò progreditur & circulatur.

^a Willis de Febr. b

Boyle. Pitcarn.

Sed exolevit ferè hodie absurda illa de *fermentis* doctrina, & à fanissimis saltem scriptoribus jam diu explosa est. Quòd si aliquam rationis speciem præ se ferre queant *fermenta*, ad hunc modum exponi debent; nempe quòd in *utero* sitæ sint *glandulae*, in quibus liquor sive *fermentum* quoddam secernitur, quod in sanguinem *singulis tantùm mensibus* deducitur, eumque in motum vividiorum fuscitans & rarefaciens, & uteri canales fortiùs distendens, viam *mensibus* aperit. Hoc verò fermentum *semel* tantùm in mense effunditur, quia ductuum excretoriorum orificia ita tenuia & angusta sint, ut id solâ vi quantitatis, spatio *menstruo* secretæ, exitum reperiat; pari modo ac in *testiculis* fit. Hæc hypothesis, utcunque primâ facie cæteris paulò magis probabilis videatur, cum iis tamen æquè à veritate abhorret: idem quippe contra omnes de *fermentis* hypotheses valet argumentum, nempe si à *fermento*, non à *plethorâ* concitarentur *menses*, brevi spatio ea sanguinis quantitas foras effusa esset, quæ vitæ fomitem penitus extingueret. Contra *fermenta* acriter contendit in iuo de *Catameniis* libro *Charletonus*, & *Bayléi* sententiam satis viriliter evertit: qui tamen cum exponit suam, totum illud argumentum ex ipso *Bayléo*, iisdem per omnia ferè verbis expressum, mutuatur, quod paginis proximè præcedentibus rejecerat & refutârat.

3^{ti}o. Denique *plethoræ* tribuit *Galenus* menstrui fluxûs originem, in libro de *Venæsectione adversus Erasistratum*, εχ αὐτῆ (φύσεως) γυναι-

κας μὲν ἀπάσας ἐφ' ἐκάσῳ μηνὶ κενεῖ, τὸ πλεῖστον
 ἀποχέουσα ἔσται αἷμα; ἔδει γὰρ, οἶμαι, οἴκοι τὸ
 θῆλυ γένος ἔτε ἰσχυροῖς πόνοις διατάρμενον, ἔσθ'
 ὀμιλεῖν ἡλίῳ καθαρῷ, ἃ δὲ ἄμφω ταῦτα πλεῖστον
 ὑποτρέφον, ἴαμα φυσικὸν ἔχειν ἔσται πλεῖστον ἢ κένωσιν.
Nonne natura ipsa mulieres cunctas evacuat,
sanguine superfluo singulis mensibus foras ef-
fuso? quippe muliebri genus, quòd domi a-
geret neque vehementibus laboribus exercere-
tur, neque sub claro sole viveret, ἔσται propterea
quamplurimos humores coacervaret, oportebat
opinor evacuationem hujusce plenitudinis,
tanquam remedium à naturâ datum, accipe-
re. Hanc de *plethorâ* sententiam multi post
Galenum secuti sunt; quam tamen apud au-
 thores ita parum illustratam reperio, ut neque
 luculenter satis appareat, vel quibus de causis
menses moveat *plethora*, vel quænam in fœ-
 minis vera sit ipsius *plethoræ causa*. Igitur
 quoniam his ritè explicatis menstrui fluxûs na-
 turam clariùs innotescere posse confidimus;
 disquiremus primò, unde originem deducat, &
 quomodo in fœminis crescat *plethora*; deinde
 quibus viribus, & quâ potissimùm de causâ,
 sanguinem *per uterina vasa* exoneret: quibus
 ultimo loco adjicientur argumenta, quæ *perio-*
dicum profluvii istius *recursum* expedient quo-
 dammodo, & illustrabunt.

C A P. III.

*De Causis Plethoræ, & quare fiat in
Fœminis.*

UT causis *plethoræ* investigandis rectiùs sternatur via, liceat his uti præmissis.

1^o. *Corpus omne in eodem statu permanere, si evacuatio additioni fuerit æqualis; & vice versâ.*

2^{do}. *Si animali cuius periodicæ aliqua supervenerit sanguinis eruptio, & idem exactâ eruptione status redierit qui sub initium periodi fuit, ita ut nec minùs nec magis ponderosum fiat animal, in eo ante eruptionem istam fuisse plethoram: & porro evacuationes omnes ante eruptionem factas additioni fuisse impares, at unâ cum erumpente sanguine æquales.*

Hæc per se satis liquent; unica quippe, ex quâ quantitas materiæ cujusque dignoscitur, mensura, est *pondus*. Si igitur corporis *pondus* idem maneat, manet eadem etiam *quantitas materiæ*; seu quod idem est, quantum additur corpori, tantum etiam & ab eo evacuat. Si verò minùs evacuetur quàm apponitur, crescet *pondus* corporis, adeoque quantitas materiæ erit major; quæ si ad hunc modum aucta in *vasis* sanguineis accumulatur, nec in habitum corporis diffundatur, inducetur sanguinis *plethora*, donec fiat eruptio. Ipsa autem eruptio per vices recurrens indicat sanguinem

non

non in carnes absumi, sed intra *vasa* coacervari.

Quocunque igitur in corpore talis oriatur *plethora*, ut necesse sit certis quibusdam periodis materiæ redundantis excretionem fieri, satis liquet omnes eas evacuationes, quæ periodorum intervallis factæ sunt, quantitate materiæ corpori ingestâ fuisse minores: quòd si corpus, factâ hâc excretionem periodicâ, in eundem cum illo statum redigatur, quem incipiente periodo obtinuit, sequitur omnino ultimam hanc evacuationem, intermediis omnibus conjunctam, ad mensuram quantitatis per totius periodi decursum ingestæ assurgere.

Et hæcenus quidem non tam *conjecturâ*, quàm *demonstratione* perventum est.

Itaque ut hæc omnia instituto nostro accommodemus, ex certissimis principiis concludi potest, cum fœmina, expurgatis mensibus, eundem obtineat corporis statum, quo sub periodi menstruæ initium fruebatur, (quod experientia confirmat) in eâ decursu istius periodi evacuationes cæteras assumptis alimentis impares fuisse: itidem, quia hæ fuerint impares, humorem nutritium in corpore redundare; qui si intra circulationis ambitum conclusus sit, sanguini eam, pro quâ contendimus, inferret *plethoram*.

In eodem verò statu jugiter permanere, tum ex *visu*, tum ex *staticâ*, probantur integræ valetudinis mulieres; in quibus totius ferè ætatis decursu nulla ponderis mutatio sentitur, modò eadem observetur vivendi ratio, idemque adhibeatur rerum, quas vocant, *Non-naturalium* usus.

usus. Sed ne fortè paulò altiùs excurrere videamur, libet ad medium aliquod, ne dicam perexiguum, tempus descendere; & id tantùm petimus, ut fœmina sana, & mensibus ritè purgata, per quinque annos eadem permanere concedatur: hoc si impetramus, sequitur ex *Premiss.* 1. evacuationes omnes eo quinquennio peractas alimenti copiæ respondisse; è quibus tamen evacuationibus est *fluxus menstruus*; quod si, mensuris subductis, evacuationes reliquæ non responderint, patet ex *Prem.* 2. fuisse ante ejectos menses in muliere *plethoram*.

Aliud argumentum, cur evacuationes cæteræ ad ingesta alimenta parum assurgant, ab ipsis mensibus desumi potest; si enim assurgerent, profluvium menstruum non tam inter *crises salutare*, quàm *morbos* poni deberet; & misellæ fœminæ quinquennii spatio sanguinis puri lib. 100, ut in capite præcedente demonstratur, frustra evacuant, seu quod idem est, lib. 100 de pondere suo amitterent. Itaque tantùm abesset ut sano corpore fruerentur; corpus eo tempore vix haberent.

Pariter eadem certitudine colligimus, secretionem in cæteris animalibus ingestæ materiæ respondere; quoniam, cùm ætatis florem consecuta sint, in eodem prorsus statu permanent; quia verò evacuationis additionisque eadem sit proportio, ideo in iis non accumulari *plethoram*: neque porro menses fluere debere, qui citra *plethoram* non moventur. His alia forsan in sequentibus adjicietur ratio, cur *bruta* fluxui menstruo non sint obnoxia.

Satis

Satis jam perspicuè ostensum est, in muliere dari *plethoram*; quibus verò de causis ista fiat redundantia, seu, quod idem est, quare in eâ deficiat totius alimenti evacuatio, hoc etiam si explicare poterò, argumento plenius satisfacere videbor.

Perpirationem igitur, eâ enim secretionem alimenti pars longè maxima dissipatur, in fœminis *imminuere* probantur sequentia.

I. Uti observat, accuratissimus rerum investigator, *Sanctorius*^a *Vires imbecilles*: & has quidem à *molliori texturâ* rectè deducere videtur *Hippocrates*^b; quò enim magis *solidæ* fuerint partes, eò *robustior* fit corporis compages. Sed quæcunque sit imbecillitatis hujusce causa, certum est *mulieres* viris esse *imbecilliores*; idque ex *pulsu* satis innotescit. *Pulsus* enim *muliebrem* ferè *languescere* dicas, si cum *virili* conferatur; quod etiam annotavit *Galenus*^c; à *pulsu* porrò certissima *roboris* indicia sunt petenda. Quid enim est *robor*, nisi vis illa quæ à sanguine & spiritibus in membra derivatur? ea verò quomodo derivari potest, nisi cor, cujus solius motu diriguntur sanguis & spiritus, validius contrahatur? Quòd si cordis contractio sit validior, fieri nullo modo potest, ut non *fortius* increbrescat *pulsus*. De hoc qui dubitat, dubitare etiam potest, utrum sit *pulsus*. Sed ut ad rem redeamus, *Sanctorii Aphorismus* ab iis quæ dicta sunt demonstrari potest: si enim *pulsus* sit *imbecillior*, minor

^a *Med. Stat. f. 1. 52. Puls. 3. 2.*

^b *De Gland. f. 11.*

^c *De Caus.*

sanguinis quantitas ad glandulas, non intercutes modò, sed alias omnes dato tempore deferetur, ideoque minor erit humorum secretio: etiam id ipsum quod secretitur, propter eam quam explicuimus *imbecillitatem*, è fibris, quarum tensio remissior est, non ita promptè aut fortiter exprimi potest.

Ad hunc modum à *viribus imbecillis* oritur *perspirationis defectus*: quòd si in foeminis *vasorum orificia* multò, quàm in viris, exilia sint, (quòd rationi fortè non repugnat, quia & earum compages magis delicata sit, subtiliùsque pertexta, & moles semper ferè contractior) alterum à nostrâ parte erit argumentum; quia tum copia scilicet liquidi in vasa secretoria influentis minor suppetit. Est enim secretio, ut velocitas sanguinis, & vasis secretorii orificium; uti demonstravit *Bellini*. Adeoque ob minorem sanguinis velocitatem, quam ex *pulsu* cognoscimus, & capillarium angustias, quæ ex *texturâ* delicatulâ etiam probari posse videntur, minor erit in foeminis materiæ perspirabilis secretio.

2. *Temperamentum*, quòd *humidius* esse in foeminis, quàm in maribus rectè^a pronuntiat *Hippocrates*. Foeminarum enim corpora, tum ad tactum tum ad visum, multò molliora & teneriora sunt quàm virorum; à quâ partium mollitiæ *humidi redundantiam* idem ille Autor non absurdè deducit^b: quò enim minùs solidæ sint partes, eò magis in iis abundat fluidum^c. In viris autem, quò solidior evadit corporis

^a *Nat. Puer. f. 6.* ^b *Morb. Mul. I. f. II.* ^c *De Gland. f. II.*

compages, eò minus fluidi relinquatur; solidarum enim partium moles, nisi imminutâ fluidi copiâ, increfcere nequaquam potest. Itaque ratione molis fuæ plus habent sanguinis mulieres, quàm viri. Hinc est quòd citiùs ad debitam magnitudinem affurgant; quia liquidi copia, ex quâ solidæ partes conflantur, in iis fit uberior: ita ut minori tempore æquale, vel æquali tempore amplius nutrimentum inde hauriri queat, uti argumentatur *Hippocrates*^a, fusiùsque ostendit *Pitcarnius*. Cùm igitur fœminæ hâc gaudeant temperie, *humiditatem in iis non remitti* bene colligit modò laudatus author; quia rariore sint texturâ^b; patet etiam ex *staticâ Sanctorianâ*, *humida* corpora minùs perspirare, & plenius nutrimentum secretioni infensili officere. Eodem fundamento nititur Aphorismus ille^c, *ab aqua potatione perspirationem insensilem impediri*. Pariter *aquosas*, (i. e.) perquam humidas, *mulieres diutiùs purgari* scribit *Hippocrates*^d.

3. *Vita domi acta* & *labore minùs exercita*; ideoque hinc etiam originem trahere *plethoram* rectè statuit *Galenus*, & optimus naturæ interpret, *Hippocrates*^e. Etenim annotante *Sanctorio*^f, “*Exercitio corpora leviora fiunt*; “*omnes quippe partes, præcipuè muscoli & ligamenta, motu ab excrementis purgantur*; “*perspirabile ad exhalationem præparatur, &* “*spiritus tenuiores fiunt*”: ita quicquid sit humoris superflui, id fortiùs foras exprimitur; op-

^a *Morb. Mul. I. f. II. f. 3. 67.*

^d *Epid. 6. 1.*

^b *De Gland. f. II.*

^e *De Gland. f. II.*

^c *Med. Stat.*

^f *S. 5. 9.*

timè enim notavit *Hippocrates*, labore aliquid humoris abduci^a. Contrà verò quiete nimia gravius fit corpus, & propter *inhibitam perspirationem* humores intra vasa redundant: igitur rectè docet idem *Sanctorius*, *perspirationem, ubi in sanis deficit, exercitio sarciri*^b.

Quæret fortasse aliquis, quare foeminas minùs perspirare contendam, cùm in iis plerumque æquè copiosus ac in viris observetur sudor? cui hic hæret scrupulus, discat è *Sanctorio*, quòd *perspiratio & sudor* ita parum inter se conveniant, ut nihil ferè habeant commune; contrà quòd hic ampliùs provocatur, eò magis illa minuitur^c. Saltem si præcesserit sudor paulò uberior, perspirationem ad horas & fortasse dies aliquot languescere & ratio evincet, & *Statice*^d.

Ultimo de *otiosâ vitâ* argumento facile erit reponere, plurimas inveniri mulieres, *exercitio* quidem *laboribusque* assuetas, non ideo tamen mensibus immunes. Sed meminerit lector desidiam non esse unicam plenitudinis menstruæ causam: utcunque labori se assuescat mulier, *humidam* suam secum portat *temperiem*, & *vires imbecilles*. Quòd si cui & *vita athletica*, & *siccum temperamentum* contigerit, dubitari forsan potest, utrùm illi fluxura sint menstrua: pro me certè haud parum facit quod observârunt *practici*, eas, quibus menses penitus defuisse compertum est, calidissimi^e fuisse temperamenti *Viragines*: quæ cùm ad *robur masculinum* accedant, & *laboribus* ut


^a *Morb. Mul.* I. II. ^b *S.* 5. 34. ^c *S.* I. 12. 13. 23. 110.

^d *S.* 5. 3.

^e *Plater. Obs. Med.* p. 247.

plurimum se exercent, alimentum omne facile digerunt, & per poros eliminant^a. Igitur in his *pulsus validiores* observat Galenus^b. Ita mensibus *saltatrices* destitui scribit Sennertus^c, Forestus^d etiam *cantatrices*: quod & experientia satis confirmat. In quibus quidem omnibus *labor* id efficit, ut evacuationes copię ingestę respondeant; adeoque nec ulla desideretur mensium purgatio.

Sed utcumque de causis disceptari queat, de re certum est. Plethorâ igitur demonstratâ, non ita arduum est, quibus viribus, & quâ potissimum de causâ, sanguis per uterina vasa effluat, explicare.



C A P. IV.

De Structurâ Uteri & Vaginę.

ANtequam verò modum, quo ad ciendos menses utitur *plethora*, exponam, necessarium videtur pauca de *uteri & vaginę fabricâ* præfari: quod quidem ii qui de *catameniiis* scripserunt, tanquam à re suâ alienum prætermittunt; quamvis nihil ferè est, quod de hoc argumento cogitanti clariorem lucem afferat, quàm muliebris uteri structura, non tantùm animo perspecta, sed ad examen hoc accommodata. De hâc itaque, quantum instituto meo sufficit, breviter dicam.

^a Hildan. c. 5. Obs. 41.
^d L. 28. Obs. 1.

^b Caus. puls. 3. 5.

^c Tom. 3.

1. In foeminis *pudendum*, uti & reliquum corpus, respectu *horizontis* situm obtinet *perpendiculararem*, in cæteris animalibus *parallelum*.


2. Interna tam *uteri*, quàm *vaginæ* tunica, in quam inseruntur variè & disseminantur venæ & arteriæ, *adipe* omnino caret & *crassitie*; ita ut vasa, fibris ipsius intertexta, minùs sustinere aut munire queat: quæ quidem in cæteris ferè quibuscunque corporis partibus plurimùm suffulciunt muscoli & pinguedo.

3. Vasa sanguinea, tam arteriæ quàm venæ, numero penè infinita ad has partes deferuntur; quorum tamen major copia in uterum diffunditur. Arteriarum rami, uti & venarum, ex utroque latere sibi invicem per *Anastomosis* committuntur, qui non recto cursu ad uterum feruntur, sed variè inter se *implicati* & *contorti*, *curvis* & quasi *serpentinis* ductibus perreptant. Cujus quidem texturæ ratio satis elucet & necessitas; gravidâ enim muliere, & foetu uterum magis indies distendente, comprimerentur omnino, aut dissilirent potiùs vasa sanguinea, nisi his ambagibus circumducta essent: hoc nimirum artificio formata utero sensim crescenti facilè cedunt, & ultimis graviditatis mensibus in directum magis reducuntur.

4. Aortæ truncus descendens multò *amplior* in foeminis, quàm in viris reperitur: eo utique naturæ consilio, ut non modò ad musculos excludendo foetui inservientes, sed ad *uterum* etiam, in quo fovetur & enutritur foetus, major sanguinis copia deferatur. Quæ quidem

dem vasorum multitudo facit, ut non alium quemvis, nisi per *uterum*, sibi exitum quærant menses.

5. Venis omnibus *uterinis* defunt *valvulae*.



C A P. V.

De modo, quo Menses movet Plethora.

CUM talis sit vasorum conformatio, videamus quomodo, accedente plethorâ, sanguis per ea expurgetur. Quod ab his propositionibus, quas demonstrant *mathematici*, clarissimè deduci potest.

Prop. 1. *Augetur momentum corporis cujusvis, seu vis ea, quâ corpus è loco suo continuè tendit, augendo vel celeritatem, vel quantitatem materiae, vel utramque.*

2. *Si momentum corporis sit majus, quàm contraria impediementi vis, id impediementum removebitur.*

3. *In percutientibus corporibus, ictuum magnitudo motui deperdito proportionalis est.*

4. *Motus deperditus est, ut resistentia.*

5. *Si corpus datâ vi in impediementum aliquod feratur, ictûs magnitudo erit, ut sinus anguli incidentiæ.*

6. *In quovis fluido non tantùm est pressio deorsum, sed etiam à latere & undiquaque.*

7. *Fluidum corpora circumposita premit à latere omni illâ vi, quâ partes ejus conantur à pressione recedere.*

8. *Pressio lateralis est in ratione altitudinis, quâ fluidum incumbens assurgit.*

9. *Directio pressionum superficiei, quæ premitur, est perpendicularis.*

Priores duæ propositiones ostendunt, quare, increfcente *plethorâ*, sanguis è *canalibus* suis erumpat; *reliquæ*, quare ex *uterinis* potissimum feratur.


Per se enim luculenter patet, quomodo eâdem manente velocitate, augeatur *momentum* sanguinis in *plethorâ*; quia scilicet augetur *quantitas*: quòd si augeatur etiam *velocitas*, eò fortius erit *momentum*. In *plethorâ* tamen semper crescit, non modò *quantitas* sanguinis, sed & *velocitas*, nisi sanguis nimis lentus fuerit, aut viscidus: si enim ritè admistus & comminutus sit, quò magis mole creverit, eò plures secernit spiritus; quò verò spirituum copia sit uberior, eò crebrior sit, atque validior cordis contractio: ita ut si accesserit *plethora*, necessariò sanguis *velociùs* circuletur, adeòque *majore cum momento* in impedimenta quævis impingat.

Vasa verò sanguinea tanquam *impedimenta* spectanda sunt, ne sanguis extra canales feratur; & hoc sanè efficiunt, quamdiu aut æquis viribus aut majoribus sanguini circulanti renitentur: cùm verò eousque increbuerit sanguinis momentum, ut ei oppugnando vasa minimè sufficiant, locum facilè cedunt, ut per ipsorum tunicas sanguis erumpat. Vasa verò *uterina*, quia, uti diximus, *carne parum suffulta* sunt, siqua alia, ad cedendum sunt facillima; ea sanè

sanè reniti non posse ostendit ipsa sanguinis eruptio; qui quidem erumpere minimè posset, si ea contrà æquali momento restitissent.

Quia verò per *Prop. 3. in percutientibus corporibus, ictuum magnitudo motui deperdito proportionalis sit*, videndum est, an singularis aliqua in *uterinis vasis* fiat *motus imminutio*: quæ quidem clariùs elucebit, si ad ea, quæ de *vasorum structurâ* paulò ante diximus, attendamus. Ea nempe non recto, sed *curvo* admodum & quasi serpentino cursu per *uterum* variè funduntur: itaque cùm *motus deperditus sit ut resistentia* per *Prop. 4.* si major in iis contingat *resistentia*, major etiam erit *ictus magnitudo*; quam motui deperdito proportionalem agnoscimus. Majorem verò in *vasis* hisce *contortis* dari *resistentiam*, hoc modo demonstratur. Si in *recto* canali decurrat fluidum, datur tantùm *pressio* eaque *lateralis* per *Prop. 7.* quâ scilicet latera canalisi distendit fluidum; quia latera non opponuntur fluido in directum adeoque nec impedimento sunt. Si tamen in *curvo* canali moveatur fluidum, canalisi latera non tantùm *premit*, sed omni, quo pollet, momento in ea *impingit*: quantò verò magis, hoc impeditum obstaculo, de *motu suo deperdat*, tantò fortior erit in idem obstaculum *ictus magnitudo*. Quò verò in *curvum* magis flectantur vasa (i. e.) quò magis directioni fluidi sint opposita, eò major erit vasorum *resistentia*, & proindè *major ictuum magnitudo*: inde etiam uberius accedet fluido vis, quò faciliùs vasa possit perrumpere.

Si enim canalis cylindrici A C (uti in Fig. 1.) *axis* sit fluidi directioni semper *parallelus*, nullus erit particularum fluidi in ipsius latera impetus; adeoque & *ictus* nullus; flui-



dum verò omni illâ vi, quâ premitur, *latera* vasis *perpendiculariter* urgebit. Quòd si *quantitas* fluidi augeatur, *pressio* etiam & *vis*, quæ in canalium latera exercetur, augebitur: unde

unde oriatur canalium *distensio*, & proinde laxior fibrarum textura, minorque inter se co-hærentia. At si canalis sit *inflexus* paulò, ita ut obliquè feratur sanguis à B ad C, (uti in Fig. 2.) moles sanguinis aucta non modò *latera* ipsius *distendet*, sed in partes *curvatas* cum *impetu* feretur, & fibras jam satis distentas cum *ictu* perfringet: eoque faciliùs cùm, uti ostendit Borellus, *Vis ictus omni pressione infinito major sit*. *Ictus* verò *magnitudo* major erit, quò magis *incurvetur* canalis, idque in *ratione sinus anguli incidentiæ*. Nam si sanguis (uti in Fig. 3.) à D ad C dirigatur, major erit, *ictus magnitudo* ad latus C, quàm cùm sanguis (in Fig. 2.) à B ad C decurreret. Adeò quò magis *incurvetur* canalis, eò major erit *ictus magnitudo*; donec ad *flexionem* (ut in Fig. 4.) *perpendiculararem* perventum sit, ubi datur maxima; quia ibi *sinus anguli incidentiæ* sit maximus. Ita satis patet in *curvis* canalibus *ictus vim* intendi.

Et hæc quidem uberiùs explicare libuit, ut perspicuè innotesceret, non minimum conferre ad menses per *uterum* evacuandos ipsius *uteri structuram*.

Etiam hoc ad cætera accedit, quòd vasa, quò magis *contorta* sint & *circumvoluta*, eò *longiora* multò fiunt: *longitudine* verò efficitur, ut plus sanguinis intra latera sua excipiant; sanguinis adeò *quantitate* auctâ, augetur & *momentum*; unde fit facilior per tunicas eruptio.

Quòd si *uteri fabricam* attentius advertamus, luculentiùs adhuc patebit ratio, quare per
uterina

uterina potissimum vasa exoneretur sanguis menstruus. Cum enim *pubendi muliebris situs*, respectu horizontis, *perpendicularis* sit, idem etiam erit situs *arterialis fistulae*, quæ à corde ad uterum sanguinem deportat: quia verò in *fluido* per *Prop. 7.* corporis cujuscumque circumpositi fiat pressio, non *deorsum* modò, sed etiam à *latere*; per *Prop. autem 8.* pressio *lateralis* sit in ratione altitudinis, quâ attollitur incumbens fluidum, universa columna sanguinis ab *aortæ descendenti* trunco ad uterum protenta *uterina* vasa à *latere*, idque *perpendiculariter* per *Prop. 9.* comprimet & distendet: quòd si *pressio* hæc à *situ* arteriarum *perpendiculari* orta, cum iis quæ de canalium *ambagibus* dicta sunt conferatur, facillimè dispiciet ingenuus lector, quòd ad evacuandos menses præ omnibus vasis longè aptissima sint *uterina*. Quippe, propter *plethoram*, & *pondus* fluidi tum in arteriis tum in venis *perpendiculariter* incumbentis, intumescunt latera vasorum, ita ut fibræ à se invicem magis distrahantur: quò verò rarior sit fibrarum textura, eò faciliùs vi illatæ cedunt. Jam in *plethorâ* augetur sanguinis *momentum*, quia augetur *quantitas*, etiam &, nisi *lentor* adsit, *velocitas*; *impedimenti* vis imminuitur, quia vasis sanguinis *redundantiâ* pridem distentis, minor sit fibrarum contactus & cohærentia; ita superato impedimento, sanguis tandem erumpit.

Hinc etiam non leve exurget argumentum quare in *brutis*, licèt eadem planè in iis sit
(aliter

(aliter ac nonnulli sentiunt^a) *vasorum conformatio*, non tamen reperiatur *fluxus uterinus*; quoniam, cùm in his *puendum* respectu horizontis *parallelum* sit, tollitur omnis ista ad *latera* vasorum *pressio*, à *perpendiculari* arteriarum *situ* deducta: quæ sanè inter causas haud postrema est, cur mulieres plethoricæ per *uterum* purgentur.

Pro nobis etiam ulteriùs facit *Valvularum* in *venis uterinis* defectus: quod utcunque primâ fronte legenti parum satisfaciat, majoris esse momenti videbitur, si, quid in aliis *venis* præstent *valvulae*, sub examen revocetur. Hæ quidem, cùm flaccidæ sint, nulli prorsus usui essent, si sanguis *continuo* cursu, veluti flumen, per arterias venasque deferretur: siquidem sanguine continuo decurrente, utcunque venis iniererentur *valvulae*, fluidum quamvis supra valvulam delatum in partes inferiores æquè graviter incumberet, ac si nulla prorsus intercederet valvula: si enim canalis *plenus* sit, valvula interposita pressionem fluidi non magis tollit, quàm, si vesica aquæ plena alteri itidem plenæ imponatur, membranæ interjectio efficit quò minùs aqua, quæ in vesicâ superiore est, pondere suo inferiorem premat. Sed quoniam sanguis ab arteriis, non *continuo* flumine, sed per *intervalla* quædam, prout cor contrahitur, in venas influit, utile admodum comperitur *valvularum* artificium: cùm enim nullum sanguini regressum concedant, cavent, ne major sanguinis copia *venas capillares* premat, quàm

^a Charleton, Bayle.


quæ inter eas *valvulamque* proximam continetur: nimirum ab *inferiore parte* valvulæ pressio tollitur, quia intercapedo illa ob cordis *diastolen*, sive circulationis moram, sanguine minùs distenditur: quòd si in cordis *diastole* sanguis in venis majoribus deorsum retro gurgitaret, *capillares venulæ* ita pondere incumbente laborarent, ut faciliùs disrumpi possent. In *venis* verò *uterinis* propter *valvularum defectum*, nihil prorsus obstat, quò minùs sanguis omnis, qui in ramis amplioribus continetur, retro versus *capillarium* angustias corruat, & tenella orificia ita premat, ut impulsu quovis promptiùs dissiliant. Et hoc quidem modo, in *arteriis situs perpendicularis inflexioque tortuosa*, in *venis valvularum defectus* multùm adjuvat, ut per *uterinas vias* evacuetur *sanguis redundans*.

A quibus verò canalibus potiùs dimanet sanguis menstruus, an ab iis qui ad *uterum*, an ab iis qui ad *vaginam* deferuntur, magna est inter *authores* controversia: quæ sanè non incommodè prætermitti, saltem salvâ utrâque sententiâ componi poterat. Etenim cùm eadem sit partium textura, eadem vasorum conformatio, longè plura tamen ad *uterum* excurrant vasa quàm ad *vaginam*, quid dubii est quin ex utrisque canalibus, uberiùs licèt ex *uterinis*, evacuentur menstrua? Quod quam per se satis pateat, hoc tamen argumento breviter illustrari potest. Ubi in *prægnantibus* erumpunt *menses*, si *abortus* fiat, ab *utero* videntur fluere; quænam enim alia vis *fæ-*
tum

tum à placentâ queat divellere, nisi effusi in *utero* sanguinis fluctuatio? Si verò nullus insequatur *abortus*, eos potiùs à *vaginâ* demitti credimus: quia si in *utero* fiat sanguinis eruptio, periculum est, ne *abortiat* mulier. Igitur aliquando ab *utero*, aliquando à *vaginâ*, sæpiùs tamen utrinque fluunt menstrua: ita tamen ut in iis quæ *pepererunt*, propter vias liberius patentés, frequentiùs, quàm in *virginibus*, ab *utero* emanent.

Alia etiam inter scriptores versatur quæstio, utrùm à *venis*, an ab *arteriis* prodeant menses; quos ego sanè ab *arteriis evanescentibus* malim deducere. Ibi enim maxima est canalis angustia, quâ efficitur, ut sanguis in latera vehementiùs feriat, & ostiola recludat: quòd si in *venas* deductus fuerit, latius sibi spatium videtur comparâsse, quàm ut foras egredi cogatur. Ideo si qua in canalibus oriatur obstructio, eam in *arteriis* potiùs quàm in *venis* poni debere rectè arbitratur, philosophiæ medicæ peritissimus, *Pitcarnius*^a. Quinimo sanguis floridus admodum & rubicundus cum sit, ab *arteriis* potiùs, quàm à *venis* originem trahere videtur. Sive tamen è *venis* sive ex *arteriis* fluat, ex *capillaribus* certè, non ex *majoribus* ramis propellitur: uti ex fluxu ipso, qui *guttatim* ferè peragitur, dignosci potest.

^a *Dissert. Med.* 106.



C A P. VI.

Argumenta contra Plethoram refelluntur.

HUC quidem principiis simplicibus maximè & indubitatis pervenimus; quæ tamen non magis vera sunt, quàm intellectu facilia. Quanquam verò huic fundamento innixa minimè corruere possit *Theoria*, non tamen negligenda sunt, quæ vulgò contra *plethoram* afferuntur, argumenta: quæ si refelli queant, nostræ sententiæ si non roboris aliquid adjicietur, impedimenta certè detrahentur. His igitur argumentis manifestum esse putat *Charletonus*^a, *meram plenitudinem non sufficere, ut evacuatio per uterum efficiatur.*

I. In *tabidis* & *macilentis*, *consueta*, & *interdum profusa*, *reperiuntur menstrua*; quibus tamen *sanguinis copia infra mediocritatem consistit*. Rem ipsam sanè agnoscimus, in *macilentis* nempe fluere menses; *plethoram* ideò non dari pernegamus; quippe multi, uti observat *Galenus*, sanguine exuberant, *gracillissimi* cum sint; etiam ipso *Charletono* iudice, ita parum in *macilentis* deficit sanguis, ut in iis præcipuè *redundet*. Ipsum igitur audiamus, *Oeconom. Animal. Exerc. 5. S. 3.*

“ Qui maximè nutriuntur, ut *obesuli*, paucosanguine præditi sunt; *macilenti* autem mag-

^a De *Catameniiis*, p. 30.

“ nis venis, plurimoque sanguine donantur.
 “ Quare etiam hi ut plurimum animosi sunt,
 “ & omnia vitæ munera alacrius vividiusque
 “ peragunt, utpote spiritibus proportionaliter
 “ prægnantes. Ac propterea *graciles* liberalio-
 “ rem venæ-sectionem ferunt, quòd carnosæ
 “ & musculosæ eorum pars strigosior cùm sit,
 “ majorem quoque copiam in poris suis ab-
 “ sorbeat: venæ autem etiam si exhauriantur,
 “ minore tamen istoc damno evenit, modò
 “ quantum lampadi vitæ satis sit supersit. At
 “ verò torosis & præpinguibus damnum à co-
 “ piosâ sanguinis evacuatione contingit; quia
 “ habitus eorum sanguine calidiore depaupera-
 “ tus, ferosis humoribus repletur facileque in
 “ cachexiam degenerat. *Ib. Sect. 4.* Notum est
 “ in animalibus *fame* enectis, & hominibus
 “ quoque, qui *tabidi* intereunt, plurimum san-
 “ guinis etiam post obitum in venis reperiri;
 “ quod prorsus impossibile esset, si sanguis
 “ corpori solùm nutriendo destinaretur. Ani-
 “ mal enim fame non periret, quamdiu sangui-
 “ nis quicquam in venis superesset; nec tabi-
 “ dorum corpora adeò emaciarentur, dum ve-
 “ næ sufficientem sanguinis copiam in se con-
 “ tinent, unde partes possint instaurari. Qui-
 “ bus adjici potest historia S. 6. quam ex *Hip-
 “ pocrate* desumit, de viro quodam, qui cùm ad
 “ extremam maciem morbo extenuatus fuisset,
 “ & indies magis magisque tabesceret, sectâ
 “ tandem per vices utriusque manûs venâ, do-
 “ nec exanguis fieret, brevi *ευσταρχῶ* evasit.”
 Unde fit, ut qui, cùm contra sanguinis nutri-
 tionem

tionem differit, in *tabidis & macilentis plethoram* ita strenuè propugnat, idem, cùm *catameniorum* causam agat, conetur convellere? sed ea *Charletoni* argumenta, quæ jam ex *œconomia animalis* deprompsimus, ita solida sunt & veritati congruentia, ut ne ab ipso quidem *Charletono* everti possint. Hinc *macilentæ*, uti scribit *Galenus*, missionem sanguinis copiosiore ferunt; quâ & sæpissimè in iis, postquam diu defecerint, redintegrantur menstrua. Hujusmodi plurima exempla sunt; & quotidiana ferè observatio est, in *lactantibus gracili* corpore præditis menstrua solenniter ferè celebrari: ita parum *infra mediocritatem* consistit in *macilentis* sanguis.

2. *Ipsa plenitudo nonnunquam impedimento est, quò minùs fluant menses.* Ita quidem scriptorum pars maxima unam *suppressi fluxus* causam statuunt, *plethoram*: à quâ *suppressionem mensium* similiter induci arbitrantur, ac *Ischuria* nonnunquam oritur à nimia, quâ *vesica* distenditur, urinâ^a.

At si quis hæc accuratiùs perpendat, dissimillima prorsus inter se reperietur harum suppressionum ratio. *Vesica* enim firmâ admodum & musculosâ tunicâ munitur, ita ut si extra modum accumulatur *urina*, *vesicæ latera* nequeat perrumpere; quia non *impetu* aliquo illabitur, ideo neque *momento* aliquo in ea *impingit*. Solâ verò *pressione laterali*, quâ vi fluida omnia pollent, *latera* ita valet *distendere*, ut ea minimè se *contrahere* queant, adeòque neque *urinam*

^a River. Etmuller.

foras protrudere; h. e. tanta est *urinæ* quantitas, ut major sit, quàm quæ à vi *tunicæ musculosæ* moveri possit, adeoque actio musculi suspenditur. Neque musculus priùs se contrahet, quàm aut *momentum* ipsius intendatur, ita ut *urinæ* ponderi præpolleat, aut ipsa, quæ vim musculi oppugnat, *Cathetere* eliciatur *urina*. Etiam in hoc casu *Ischuriam* multùm adjuvat *vesicæ sphincter*: qui cùm sit musculus perpetim contractus, nisi quando ab *antagonistâ* & *urinæ pondere* superetur, fortiùs certè contrahetur, si nulla ab *antagonistâ* oriatur *contranitentia*: *Antagonista* verò est *detrusor urinæ*; sive ipsius *vesicæ tunica muscularis*; cujus actionem ab *urinæ copiâ* suspendi jam ostendimus. Aliter omnino se habet in *vasis uterinis plethora*: his enim non tantùm *pressio* eaque *perpendicularis*, sed & *ictus* satis validus à sanguine inducitur; & tantum abest, ut horum canalium latera musculosa sint, ut ne musculis quidem fulciantur; ita ut si permaneat *plethora*, rupturam effugere non possint, uti in præcedentibus demonstratur. Ipsa igitur *plethora*, *per se* spectata, *menfes nequaquam supprimet*: potest verò sanguis redundare, licèt non fluant *menfes*. Supponimus itaque in hoc casu nullum esse in *canalibus* vitium (si enim esset, *huic* tribui deberet *suppressio*, non *plethoræ*) adeò ut in sanguine quærenda sit *suppressionis* causa. Cùm verò *quantitas* sanguinis in culpâ esse nequeat, (ea enim, uti vidimus, fluxum promoveret, non supprimeret) restat, ut *qualitatum* aliqua *suppressionem* hanc introducat: è quibus nulla

æquè ad hanc rem instructa est, ac *visciditas*. Cùm enim sanguis *lentior* sit, & particulæ ejus tenaciter inter se cohæreant, adeoque magnitudine excrescant, per ostiola vasorum *capillarium* minimè traduci potest; in quibus itaque orietur *obstructio*: obstructis porrò his meatibus, per quos facilem egressum sibi comparare assuevit sanguis, intra *majorum* canalium latera conclusus est, quæ nimis robusta sunt, quàm ut ei exitum aperire cogantur. Hoc igitur & nullo alio, quod sciam, modo efficietur menstrui fluxûs *suppressio*, etiamsi adsit *plethora*: ipsa tamen *suppressio* non *plethoræ* propriè, sed sanguinis *lentori* tribuenda est.

3. Si ideò fluerent *Menses*, quod sanguis *quantitate modum excedat*, per alia vasa, *pulmonum* putà &c. potius quàm per *uterina* erumperent. Sed huic argumento abunde satisfactum puto, in iis quæ de *uteri* situ, & structurâ differui: unde *uterum*, præ aliis omnibus corporis foeminei visceribus, ad evacuandos *menses* accommodatum maximè, & quasi natum esse demonstratur. Quòd si *uterina vasa* paulò magis indurescant, & tenaciora fiant, aut intensiùs crescat *plethora*, sanguis per alios canales iter suum expugnabit; ita ut foeminis, quibus via per *uterum* præcluditur, per *nares* sæpe, aut *pulmones* evacuetur sanguis *plethoricus*; pariter ac in iis, qui *vino* liberiùs indulgent, frequentissimè observatur ex *naribus* quasi critica quædam sanguinis eruptio.

Afferri potest & aliud contra *plethoram* argumentum; nempe si in foeminis accumuletur *plethora*,

plethora, ut ad *fætum nutriendum* magis idoneæ sint, cur eadem in *brutis* deficiat, quæ non minùs foetus suos nutriunt, quàm mulieres? Utcunque res satis obscura fit, hoc certè ex iis quæ cap. 3, & 5 diximus, sine dubio concludi potest, quòd cum *bruta* mensibus omnino libera sint, eundemque semper, post ætatis florem, corporis statum conservent, in iis quotidianas omnes evacuationes alimentis assumptis respondisse: nisi alia quæpiam in iis sit evacuatio menstrua, uti in *viris* observavit *Sanctorius*^a. Idem de foeminis, quibus *ante prægnationem* menses non fluunt, dicendum est. Cùm verò utero gerant *bruta*, quia aliquid in *fætus* usum conferunt, non fieri potest, quin *gestationis tempore*, aut nutrimentum solito plenius accipiant, aut minus solito remittant. Itaque in *brutis prægnantibus*, *canibus* præsertim, acrior solito observatur *voracitas*. Hoc enim præcipuè est pro quo contendimus, quòd *menses* in sanis mulieribus à *plethorâ* unicè proveniant: quòd si nonnullis menses defuerint, non ideò tamen defunt suppetiæ, unde satis nutrimenti in foetum impendi possit. Igitur mulieres aliquas sine mensium profluvio *concipere* posse arbitratur *Aristoteles*^b, viz. “ quibus tantum humoris colligitur, quantum iis, quæ purgantur, restare solet post purgationem; quanquam non tanta copia est, ut foras possit profluere.” In hoc quippe singulari admodum casu necesse est, ut mulieri & *ante graviditatem* eadem fuerit evacuationis addi-


^a *Med. Stat.* 1. 63.

^b *Hist. Anim.* 7. 2.

tionisque proportio, & jam prægnanti evacuationis solitæ imminutio.

Atque hæc de *plethoræ* naturâ dicta sunt: quâ ritè intellectâ & perpensâ, profluvii uterini causa, quæ multos diu torfit, facillimè deducitur. Ita clarè res omnis vel etiam à tyronibus concipi potest, ita simplici modo & naturali maximè, effectus menstruorum omnes à *plethorâ* fluunt, ut satis mirari nequeam ad aliam causam confugere posse authores. Quòd si in sequentibus ostendero, quòd *symptomata* omnia, quæ à mensium vitio oriuntur, huic de *plethorâ* doctrinæ optimè respondeant, ab eâque facilè derivari queant; quòdque ipsa demum *medendi methodus* sententiæ nostræ suffragetur, nihil est quod ulteriùs vel à scepticis desiderari possit.

Cùm verò *plethora efficiens* mensium causa statuatur, intelligat lector me semper de mulieribus *sanis*, & rectè se habentibus loqui. Menses enim proveniunt sæpe à *nimiâ vasorum imbecillitate*, ab *humorum acrimoniâ*, &c. Hæc verò cæteraque id genus similia *vitia* sunt, quæ sano corpori abesse supponimus.



C A P. VII.

De Periodis.

INter eos, qui menstrui fluxûs causas sibi visi sunt investigâsse, nemo ferè est, qui *periodorum* rationem exponere conatur; sed
fatis

fatis habet unusquisque eas aut ad *lunæ motum*, aut ad arcanam quandam *naturæ legem* referre: etiam qui in *fermento* toti sunt, id ipsum ad *periodos* explicandas parum adhibent; quamvis *ensem Delphicum* nacti fuerint, qui in omnes partes torqueri, ad omnia fluxûs hujusce mysteria æquè accommodari posset. Sed hoc *periodorum* negotium omnes abstrusum quiddam opinantur, commentis certè suis reddiderunt obscurissimum: licèt, si *naturâ duce*, non *hypothesi* aliquâ, ad veri investigationem utamur, nulla facilior aut magis simplex excogitari potest, quàm tota hæc de *periodis* doctrina.

Ea nempe, quæ *capite tertio* de *plethorâ* dicta sunt, adèd certa & perspicua credimus, ut nemini jam dubium sit, *perspirationem in fœminis debitâ minorem esse*. Imminutione igitur perspirationis non suppositâ modò, sed & demonstratâ, videamus quid inde depromi queat ad hoc *periodorum* intervallum luculentiùs explicandum. Cùm deficiat in muliere perspiratio, necesse est aliquid indies intra vasa coacervari, unde paulatim crescat *plethora*. Quæcunque igitur sit quotidiani alimenti mensura, si singulis diebus accumulatur intus ipsius *particesima*, (quæ perexigua quantitas videbitur, si cum eâ conferatur, quam *unius noctis* spatium, levi de causâ, impediri posse ostendit *Sanctorius*) intra triginta dies accumulabitur quantitas, victui quotidiano æqualis: adèdque si alimenti mensura sit lib. 2. (quæ tamen usitatâ semper ferè minor est) erit pars ipsius *tricesima* in sanguine singulis diebus redun-

dans $3 \ 6 \frac{1}{3} = \frac{2}{3}$; & intra *mensem* seu dies triginta sanguinis aucti copia erit $3 \ 192$ seu lib. 2. quæ quatuor unciis excedit copiam sanguinis fluxu menstruo effusam. Igitur satis esset sanguinis *plethorici*, ut lib. $1 \frac{2}{3}$, quæ vulgaris est *Catameniorum* mensura, singulis mensibus effundi posset, si non ultra $3 \ 5 \frac{1}{3}$, quod perpusillum est, per diem *imminueretur perspiratio*. Et hoc quidem modo facillimè concipitur, dierum triginta spatio increfcere posse *plethoram*; quæ quibus viribus ad *vasa uterina* perumpenda sit instructa, in iis, quæ ante diximus, satis explicatur; quibustamen, perspicuitatis gratiâ, etiam hoc adjici potest, unde clariùs fortè elucebit augendi in *plethorico* sanguine *momenti* ratio. Quantitas sanguinis mense quolibet evacuati cum sit $3 \ 20$, totius massæ sanguinæ (quæ vulgò æstimatur lib. 19, vel 20.) est *pars* circiter *decima*; hâc igitur sanguini accessione factâ, sub fine cujusque currentis *periodi momentum* sanguinis erit *decimâ parte* fortius, (& hoc quidem ex solâ *quantitate* auctâ, ne de *velocitate* aliquid dicam, quæ, si sanguis rectè se habeat, augetur etiam in *plethorâ*) singuli porro in corpore canales *decimâ parte* prementur magis, & distendentur: ita canales pressionem die uno aut altero ante fluxum *undecimâ parte* adauctam sustinere possunt, (sanguinem enim intra latera sua coercent) *decimâ* verò accedente locum cedunt; uti lancibus ad æquilibrium perductis, siquid ultrâ adjicias, præponderat. Quod tum ex iis, quæ de *causis plethoræ* exposita sunt, tum è re ipsâ facile & evi-

& evidenter innotescit. Menstruis igitur *fluentibus*, vasa omni eo sanguine, qui *plethoram* constituit, deplentur; *cessantibus* verò, ad consuetum corporis pondus redeunt mulieres: unde iterum deficiente perspiratione necesse est ut intra idem tempus *eadem* accumulatur *redundantia*. Quòd si detur vasa sanguinea ab hujusmodi *plethorâ* *semel* dirumpi posse, sequitur omnino, si similis *mensè* *quolibet* redeat *plethora*, eundem itidem fluxum reverti debere: deficiente verò in foeminis perspiratione, abunde sufficit *intervallum menstruum*, ut *plethora* talis increbrescere, & accumulari queat. Ita muliebrem fluxum statis & definitis temporibus redire æquè necessarium est, ac *anni tempestates*, suo quasque ordine, iisdem vicibus *quotannis* recipiari: nec magis mirum est, profluvium hoc *menstruâ periodo*, revolvi, quàm *annuâ æstatem*. Effectus enim perpetuò idem erit sibi que constans, nisi aliqua causæ acciderit mutatio; hanc verò posse accidere tum in *mensium* tum in *annorum* recursibus, satis arguunt & incerta in hoc fluxu *periodorum* intervalla, & varia *tempestatum* vicissitudo: sed hoc causis, quæ utrinque se admiscant, tribuendum est, adeoque nihil detrahit de effectu *causæ primariæ* necessario, & constanti. Utcunque enim cuique tempestati statæ sint suæ recurrenti vices, multa tamen intercedere possunt & frequenter solent, sive *terræ* aliquo, sive *aëris* vitio, quo minùs aut debitis intervallis redeant, aut solennem cursum absolvant: par est in *fluxu uterino* *periodorum*

dorum ratio; quibus licet spatium menstruum præscripserit natura, eæ tamen ab extraneis causis sæpe turbatæ, tum ultra, tum citra fines suos consistunt.

Nequid verò desit, quo menstrui recursus ratio meliùs intelligatur, aliarum rerum, quæ statis temporibus *periodos* suas repetunt, *phænomena* consulamus. Ex hâc classe notissima est, licet parum vel explicata vel intellecta, *Febris intermittens*. Hujus originem à *lentore* sanguinis rectè deducit, *Theoria* ut ita dicam *medicinalis* inventor primus, *Bellini*: de quo qui dubitat, adeat exquisitissimum illius de *febris* tractatum. Dato itaque sanguinis *lentore*, fluidorum circulantium particulæ aliquæ majores erunt, quàm ut tenuia *capillarium* vasorum ostiola transire queant; in iis igitur adhærescent hæ particulæ, quæ indies novis suppetiis auctæ, canalium orificia ita sensim obstruent, ut tandem per ea, si modò ullus, difficilis certè pateat sanguini trajectus. Inde est, quòd *extrema frigescant*, quia sanguis ad ea non pervadit. Redundante igitur in *majoribus* ramis fluidi copiâ, cor crebriùs validiùsque contrahitur, & proinde adeo augetur sanguinis *momentum*, ut vasa rupturam effugere non possent, nisi fluidi portio per aliquos meatus foras extrudatur. Ita in *febre intermittente* post *frigus* invadit demum *calor*; donec, accedente *sudore critico*, *paroxysmi* fiat *solutio*: quia scilicet, materiâ per poros uberrimè evacuatâ, deplentur canales, ita ut sanguis per vascula tenuiora usitato more circulari queat. Eodem verò ma-

nente

nente sanguinis *lentore*, eadem rursus fit ad vaporum orificia humoris *viscidi adhesio*, eademque sensim crescit obstructio; ita priori prorsus similis redibit *paroxysmus*. Quòd si idem in sanguine permaneat *lentor*, quid mirum est morbum ita periodos suas ordinare, ut *eodem die*, etiam & *eâdem horâ* ingruat denuo *paroxysmus*? quidni *secundâ* vice idem redeat typus, ac in *primâ* fuit, cùm causa *paroxysmi* fit eadem? Absurdum esset, si à *lentore*, uti explicatum est, derivetur morbus, *febrem* modò hoc, modò illo intervallo exacerbescere, cùm in *lentore*, qui inducit febrem, nulla prorsus fiat mutatio. Quod si fiat, mutabitur etiam *periodus*, & morbi *typus*.

Eadem omnino est in profluvio menstruo *periodorum* ratio; si enim quantitas materiæ perspirabilis per dies singulos retenta eadem sit, eadem prorsus orietur *plethora*, à quâ ad definitum tempus continuò provocabitur fluxus uterinus. Sin intercefferit aliquid, quo minùs ad consuetum modum perveniat *plethora*, tum etiam morem suum variabit *periodus*, uti in sequentibus dicetur.

Periodicam etiam in *viris* evacuationem observat *Sanctorius**, “ Corpora nempe viro-
 “ rum sana, & moderatissimo victu utentia, sin-
 “ gulis mensibus fieri solito ponderosiora, unius
 “ scilicet duarumve librarum pondere; & redire
 “ ad consuetum pondus circa finem mensis, sed
 “ factâ crisi per urinam paulò copiosiore, vel
 “ turbidiore.

* *Med. Stat.* 1. 63.

Hinc facilè patet, quòd in viris quolibet mense hæc, de quâ loquitur *Sanctorius*, *critica* fiat per urinam evacuatio, quia quolibet mense augetur pondus, seu quod idem est, humorum in corpore *plenitudo*; quæ si nulla esset, neque ulla prorsus sequeretur evacuatio: quamdiu verò data quantitas singulis mensibus accumulatur, tamdiu, exacto mense, *periodica* recurret *crisis*.

Ad hunc modum si eâdem vivendi ratione uterentur foeminæ, eandemque accumularent *plethoram*, redirent semper menstruorum *periodi*. Sed quia aliis alia est temperies, ætas, regio, & victûs consuetudo, fieri non potest, quin in diversis foeminis longè diversa sint *periodorum* intervalla. Quòd si quis varietatis hujusce causas exploret, videbit hæc omnia fluxûs reciprocantis tempora, ita inter se discrepantia, à vario *plethoræ* statu unicè pendere. Hoc quoniam à scriptoribus parum animadvertum est, in causâ fuisse videtur, quòd apud illos prætermittatur omnis de *periodorum* ratione disquisitio: consilio quidem satis prudenti, cùm neque à *lunâ*, neque à *fermento*, neque ab ipso, quem pro arbitrio regit *Hellmontius*, *Archæo*, commodè deduci possit varius ille, qui in *periodorum* recursibus contingit, typus. Quippe, quia in causis istis nulla queat esse diversitas aut inconstantia, erit etiam determinatus atque unicus agendi modus; ita ut, si ab his omnino excitarentur menses, in omnibus æquè, perque eadem intervalla efflorescerent. Sed ea penè infinita est *periodorum*
varietas,

varietas, quæ à nullâ, nisi perquam mutabili, causâ derivari potest; qualis quidem est *plethora*, mille modis mutari facillima; quemadmodum ostendent sequentia.

In *biliosis* enim *temperamentis*, uti diximus, paulò maturiùs fluunt menses, citiùsque periodos suas conficiunt. In hoc nimirum temperamento sanguis non uberior modò, sed fluidior tenuiorque fit; ita quò minùs inter se cohæreant partes sanguinis, cùm citiùs calorem concipiant & faciliùs rarefiant, majus spatium occupabunt, adeoque arterias latiùs distendent. Unde in *bilioso temperamento* observatur *pulsus magnus, corpus macilentum, ad iracundiam* etiam, & ad *venerem proclivitas*; quæ omnia sanguinis abundantis signa sunt: ita ut temperamentum hoc vulgari nomine rectiùs dicamus *sanguineum* (sic enim temperamenti *causa* exponitur) quàm *biliosum*, cùm major *bilis* secretio à sanguinis *abundantiâ* necessariò, tanquam *effectus*, fluat. Igitur, cum hujusmodi mulier ad *plethoram* citiùs perducta sit, patet, quare ei & ante consuetum tempus fluant menses, & breviori periodo recurrant. In his etiam citiùs terminatur fluxus, quia sanguis, tenuis cùm sit & subtilissimè comminutus, per vasa liberiùs egeritur.

Ita si *regio* paulò *calidior* sit, anno uno aut altero secundum septenarium antevertunt menstrua; ratio eadem est ac in priori casu; calore enim intensiùs rarefiscit sanguis. Inde etiam fit, ut iis, quæ propiùs ad *Æquatore*m sita sint, copiosiùs fluant menses. Contrà *frigore* ad *plethoram*

plethoram tardiùs affurgit mulier; itaque menses in *regionibus Borealibus* secundum septenarium sæpiùs excedunt; hinc in urbibus ad ventos *frigidos* fitis, virgines *tardiùs* pubescere scribit *Hippocrates*^a. Etiam in *Scythicis* mulieribus notat profluvium uterinum, non modò *rarius*, sed & *parcius* quoque reperiri^b.

Fœminis *gulæ deditis*, & genio liberiùs indulgentibus, fluxus sæpe ad *sextum* diem extenditur: quò enim major alimenti copia suscepta fit, eò amplior erit sanguinis redundantia: quæ cùm fit evacuationis menstruæ causa, necesse est, ut magnitudini *plethoræ* respondeat fluxus. Quibus enim corpus plenum fuerit, his plures prodeunt menses, authore *Hippocrate*^c. Ita quibus major est vasorum amplitudo, uti *macilentis*, & corpus minùs peripirabile, uti *otiosis*, copiosius fluunt menses^d. Idem in mollibus mulierculis, in quibus humores abundant, observat *Galenus*^e: cui etiam convenit illa *Hippocratis* sententia, *aquosis* (i. e.) perquam humidis *diu* durare menses^f.

Contrà in *obesioribus*, uti notat *Hippocrates*^g, & iis quæ aut *tenui victu*, aut *exercitio multo* utuntur, citiùs terminatur fluxus; in quibus quidem omnibus minor est *plethora*: quæ enim tenui victu utuntur, sanguinem non accumulunt; quæ exercitio multo, per poros dissipant & absument. Hinc *rusticæ* mulieres, quæ laboribus assuescunt, parcius purgantur. In

^a De Aer. 7. ^b De Aer. 48. ^c Morb. Mul. I. 19. ^d Duret. in Holler. 253. ^e Morb. vulg. ^f Epid. 6. 1. ^g Morb. Mul. I. 15.

obesis verò, sanguis non intra vasa coacervatur, sed in habitum corporis diffunditur, uti *capite sexto* probatur: igitur hæ venis angustioribus præditæ sunt, & ad concipiendum ineptiores. Fluxus enim menstruus, quanquam conceptui non prorsus quidem *necessarius*, facit tamen ut *faciliùs concipiant* mulieres: quippe vias uterinas ita aperit, ut liberior fiat semini in sanguinem introitus. Hinc *Scythicas* mulieres ideo *infæcundas* esse dicit *Hippocrates*^a, quia menstruis parciùs purgantur. Deficiente igitur sanguinis quantitate, brevi peragetur fluxus; ita ut apud *Hippocratem* tanquam *obesitatis* signum habeatur, si infra *triduum* consistat purgatio^b. Eâdem de causâ *obesis* menses citiùs multò cessant, scilicet à tricesimo aut tricesimo quinto anno, uti author est *Forestus*^c. Notetur etiam in his menses prorsus *supprimi* sine noxâ; uti & in iis, quæ venam frequenter secant: quod & scriptores annotârunt, & confirmat experientia.

Pari modo in puellis *minùs sanguineis* ferriùs erumpunt, & parciùs fluunt menses, quia tardiùs crescit *plethora*: cujus etiam defectu fit, ut foeminas ex *diuturniore morbo convalescentes* tardè admodum revisant menstrua; sanguis enim, morbo *chronico* exhaustus, pristinum statum non nisi difficillimè recolligit.

Ita in diversis foeminis discrepant *periodi*; quæ tamen in eâdem non minùs variæ sunt, prout ætas & vivendi ratio est diversa. Qua-

^a De Aer. 48. ^b Morb. Mul. I. 15. ^c Lib. 28. Obs. 3. Gal. Cur. Morb. per V. S. Forest. ib.

rum tamen *periodorum* ea est indoles, ut quò minus statæ atque definitæ, eò magis rationi consentaneæ sint, & vario *plethoræ*, unde oriuntur, genio respondeant. Quid enim magis naturale, quàm ut pro varietate ætatis varietur etiam *periodus*, cùm alia in *pubescentibus*, alia in *adultis*, alia demum in *provehentioribus* sit *plethora*? Quippe in *puellis*, menstruo sæpe longius reperitur periodi intervallum; quia, cùm plurimum sanguinis in corporis nutrimentum cedat, in vasis lentius augetur *plethora*. Cùm verò ad debitum incrementum pervenerit mulier, sanguis, nutritionis munere solutus, potest eam singulis mensibus accumulare *plethoram*, quæ uterina vasa facilè perrumpat. Ætate porrò in *senium* vergente, imminuuntur vires, & deficit paulatim sanguis; ita ut tardius sit plenitudinis augmentum, & diuturnior periodi mora: hinc sæpe anno uno aut altero ante septimum septenarium, *bimestris* observatur, aut *trimestris* periodus; donec gradatim imminuti menses tandem penitus intercidant. Par est à *vivendi ratione* periodorum discrepantia: si *labori multo & diætæ tenui* assuefcit mulier, vel quâcunque aliâ de causâ humores minùs accumulât, longioribus intervallis celebratur fluxus; eadem si *lautius* victitet, aut *plethoram* quovis modo intra vasa coacervet, frequentius purgatur: uti in sequentibus clariùs patebit.

Vidimus magnam in *periodis* diversitatem; quâ tamen ita parum evertitur nostra de *plethorâ* sententia, ut vix firmiori argumento stabiliri

biliri queat. *Urinæ* excretionem tardiùs vel citiùs fieri, prout *potulentorum* copia diversa est, fatentur omnes: etiam in *pratis* non æquè ingentem quotannis diluviem, sed eam, quæ *intumescenti flumini* optimè respondeat, expectabunt: quidni etiam & menstrui fluxûs *periodos* variis *plethoræ* gradibus consentientes expectent?

C A P. VIII.

Phænomena Mensium explicantur.

Vasa uterina, *menstruis instantibus*, plethorico multùm *distendi* sanguine satis nos probavimus, & qui fœminas *menstruales* fecuerunt, testantur *Anatomici*^a: quòd si ab hâc plenitudine cætera profluvii hujusce Phænomena optimè deduci possint, nihil est quod ad theoriam hanc illustrandam adjici queat.

Pro nobis igitur faciunt ea, quæ instante fluxu ingruere diximus, symptomata, *æstus scilicet* & *dolor partium vicinarum, ad lumbos præsertim* & *coxas, aliquando etiam inflammatio; Cephalalgia, crurum lassitudo, appetitûs remissio, & languor*: quæ omnia à sanguinis *plethorâ* commodè deduci possunt. In hâc enim sæpè diximus *momentum* sanguinis intendi; unde *calor* erit etiam intensior: qui à circulante sanguine ita pendet, ut nihil aliud sit, nisi partium sanguinis in se invicem impetus, & attritio.

^a Graaf. Highmor. &c.

Motu verò aucto, uti in *plethorâ* fit, sanguinis major est attritio; quia humorum tum *quantitas*, tum *velocitas* augetur: ita utrâque de causâ increfcet *calor*; qui si nimius fuerit, *febriculam*, quam & frequenter observant *præctici*, & *phlogosin* pariet.

Cùm porrò in *plethorâ* canalium latera ita distendantur, ut minor sit fibrarum inter se co-hærentia, orietur continui solutio, & proinde etiam *dolor*. Hinc menstruis ex *graviditate* suppressis *abesse dolorem* scribit *Hippocrates*^a; quia scilicet in vasis maternis non redundat, sed ad foetum deducitur sanguis plethoricus. *Caput* verò facilè invadit *dolor*, quia *cerebrum* uti est pars omnium mollissima, & vasis etiam sanguineis plurimùm referta, ita fibras habet humorum impulsui minùs renitentes, promptiùsque solubiles. Igitur hos in *capite dolores*, circa progressum mensium, *Virginibus* potissimùm adesse notat *Hippocrates*^b. Cum dolore capitis, *vesiculas* etiam pone aures intumuisse, instante fluxu, memorat *Paulinus*^c. Memoratur etiam à *Baglivio* periodicus in ossibus *clavicularum* tumor^d. Partes denique *utero* vicinæ præ aliis magis *dolent*, quia in eâ potissimùm regione, propter vasorum multitudinem, accumulatur *plethora*: & quia *lumbi* & *coxæ* nervos habeant cum iis, qui ad *uterum* excurrunt, communes, eos consentire, & unâ quasi pati non posse, si quis neget, idem etiam nè sentire quidem dicat. Aliquid etiam mu-

^a Nat. Puer. 1. 6.
Septentr. p. 34.

^b Prædict. 2. 39.
^d Fibr. motr. p. 5.

^c Med.

tuo huic consensui, ligamentorum interventu, accedere potest.

Crurum lassitudo inde venit, quòd vasa uterina, cum sanguine adeò intumescant, origines nervorum, qui ab *osse sacro* ad *crura* deferuntur, comprimant; istiusmodi autem compressio spiritus intercipit, & quendam quasi *stuporem cruribus* inducit: qui ob eandem causam in *gravidis* ferè semper accidit; uti & non rarò in iis, quibus *urina* diu *supprimitur*. Igitur, obstructis mensibus, *claudicationis* periculum esse scribit *Hippocrates*^a.

Remittitur etiam appetitus: quia sanguis ita ultra modum rarefcit, & *ventriculi* arterias dilatat, ut nervi admodum comprimantur: quò fit, ut spiritus in tunicam ventriculi musculosam copiosè satis influere nequeant, adeoque debita inhibeatur contractio. Contractione verò impedità, *appetitus*, sive à *laterum attritu*, sive ab *humore ventriculi* proveniat, necessariò languescit: neque enim nisi satis validè contrahatur *ventriculus*, aut latera contactu possunt atteri, aut humor è tunicis educi. Ita sæpè *cardiaca* & *opiata* stomachi aciem retundunt.

Languor verò invadit; quia in *plethorà*, & nimio pondere laborat corpus, & tenera cerebri vascula ità turgescunt, ut compressu suo omnes penè in *nervis* aditus præcludant; hinc in membra minor derivatur spirituum copia.

Ita plerumquè se habent, *instante fluxu*, mulieres: idem quoque in *viris*, quibus menstrua

^a Nat. Puer. l. 7.

illa, de quâ diximus, obtingit evacuatio, observat *Sanctorius*^a; “ ante crisin nempe menstrualem, vel gravitatem capitis, vel corporis lassitudinem perferri, & deinde paulò copiosiori urinâ evacuatâ omnia sedari. Pari modo in foeminis, simulac defluerint *Catamenia*, pristinus reflorescit vigor.

Hæc omnia ferè à *plethorâ* oriri posse symptomata, idonei testes evincent, *Ebrii*.

Huc etiam illud referri potest, quòd in *puellis*, viz. menstrua nondum passis, *mammæ* sæpè ante fluxum *intumescunt & sororiant*: etiam in nonnullis foeminis, instante fluxu, *ventrem* ita inflatum fuisse novi, ut planè *Tympanicæ* viderentur; quod unde deduciqueat, nisi à *plethorâ*, non video. Neque id sanè prætereundum est, his, quæ fluxu mensium instante accidunt, symptomatis, præ cæteris obnoxias esse eas, quæ vitam agunt *otiosam*, aut *nunquam pepererunt*; in quibus faciliùs crescit *plethora*.

Pari modo diversitas *quantitatis* emissæ *plethoram* arguit; *ea quippe ad ætatis usq; florem augefcit*: quò enim propiùs ad debitam molem accedat puella, eò minus sanguinis in corporis habitum ad nutriendas partes impenditur, adeoque uberiùs in vasis coacervatur sanguis. *Florente ætate æqualis permanet*, quia nempe, cùm augmenti terminum semel attigerit corpus, in eodem prorsus statu diu viget. *Ætate rursus declinante, paulatim minuitur*; *senectâ* enim obrepente, tum minor indies fit humorum re-

^a *Med. Stat.* I. 66.

dundantia, tum vasorum fibræ rigidæ magis & duræ evadunt: ita ut neque eâ ætate accumulatur *plethora*, neque si accumulatur, propter vasorum *tenacitatem* depleri possit. Igitur *aniculas* ficciores, & sanguine minùs abundantes rectè pronuntiat *Hippocrates*^a. Hoc in loco haud alienum erit *plethoræ* originem paulò altiùs investigare, causasque exponere, quare nec ante *secundum septenarium* incipiat fluxus menstruus, nec *ultra septimum* perduret: cujus rei rationem primus tradidit vir in *Oeconomiâ Animali* scientissimus, *Cockburnus*^b. Corpore quippe tenello adhuc & pubescente, *fibræ* ita *flexiles* sunt, ut pori omnes, quemadmodum *Hippocrates* loquitur, facilè pervii sint & perspirabiles; quod satis testatur ea, quæ in *junioribus* reperitur, in *sudorem* proclivitas. Ideo quicquid alimenti suscipitur, vel in partes nutriendas cedit, vel siquid superfluum sit, per poros promptè egeritur; unde nulla eâ ætate accumulatur, quæ menses provocet, *plethora*. Cùm verò augescente corpore *fibræ solidæ* magis & duræ evadant, quod circa *pubertatis* annos semper fit, necesse est, ut pori sive capillarium vasorum orificia multò quam priùs angustiora sint; ita ut, orificiis contractis minor fiat per minima vasa secretio. Secretione igitur ad hunc modum deficiente, in sanguine redundant, qui à nutriendis partibus residui sunt, humores; à quâ humorum *redundantiâ* excitantur menses. Pariter eâdem de causâ, & *pueris pubescentibus* frequenter accidit

^a *Morb. Mul.* 2. 3.

^b *Oecon. Animal.* p. 130.

narium hæmorrhagia. Quoniam verò lentè & gradatim fiat hæc *fibrarum durities*, ideò pariter sensim augetur *plethora*; ita ut cum primò incipiat, valde mediocris sit, deinde cum ætate increfcens augmenti summam paulatim attingat. Cujus quidem rei veritatem abunde confirmat experientia; in *puellis* enim jam pubescentibus copiâ satis *exiguâ* erumpunt menses, qui cum *plethoræ* respondere debeant, eâdem etiam ratione usque ad *ætatis florem* augetur.

Menses verò ultra *septimum septenarium* non persistunt, eò quòd uteri vasa *robustiora* sint, quàm quæ à sanguinis momento perfringi queant: hoc autem *vasorum robur* inde nascitur, quòd in *seneftute* non modò fibræ rigidæ magis & renitentes fiunt, sed *capillarium oscula*, ex quibus fluere consueverunt menses, continuâ tandem *cicatrice* quasi callo ita obducta sunt, (quemadmodum in *hæmorrhoidibus sæpiùs incisis* contingit) ut per ea nullus ultra pateat sanguini exitus. *Capillaribus* verò occlusis, *majora* vasa, utcunque increbrescat *plethora*, frustra impetuntur. Quòd si ad hanc normam in *provehentioribus* subito restricti essent menses, ingruerent sanè ea, quæ in *suppressione* mensium accidere solent, symptomata. Hoc igitur ut vitari posset incommodum, sapienter instituit natura, ut quemadmodum crescente ætate paulatim augetur menses, eâdem declinante lentis etiam gradibus deficient. Ita ferè semper ante annum 49 non modò *copia* sensim minuitur, sed *rariùs* recurrunt *periodi*.
 Vas
 fis

si igitur uterinis ad hunc modum renitentibus, supponatur primo tempore intra canales retineri menſtruorum partem viceſimam ſive $\frac{1}{20}$ I. quæ cum quantitas ſit admodum exigua, per alias vias commodè ſatis evacuari poteſt; h. e. poteſt alia evacuatio ita augeri, ut menſium defectum ſuppleat: præſertim cum nihil frequentius accidat, quam ut, unâ evacuatione diminutâ, altera tanquam vicaria increſcat; quemadmodum ex. gr. *poris* frigore concluſis, ſuccedit frequentiffimè *alvi fluor*. Periodo igitur ſecundâ ſupponatur effuſi ſanguinis quantitas non ultra $\frac{1}{3}$ I. 8 aſſurgere; facile certè concedi poteſt, ut altera illa evacuatio eâdem etiam ratione augeſcat. Adeò menſibus ſenſim deficientibus, alia *ſecretoria*, aſſuetudine continuâ, ita ſe tandem comparabunt, ut *plethoram*, quæ menſe quolibet coacervatur, excipere & deplere poſſint. Igitur *provecſioribus* nullum gravius ſymptoma accidit, quam defecerint menſes. Huic ſententiæ multum favet *Sanctorius*, qui in *ſenectute* augeri perhibet evacuationes *ſenſibiles*. Id etiam pro nobis facit quod perpetuâ ferè obſervatione comprobatum eſt, pleraſque ſcilicet mulieres, ſimul ac menſibus deſtitutæ ſint, habitum *pleniorum* contrahere, & *pingueſcere*. Ita poſſunt deficere menſes, cum parum interim deficiat *humorum copia*; quòd ſi ea etiam defecerit, uti in *ſenili ætate* plerumque fit, alia erit ratio, cur, citra ſanitatſ noxam, *ſeptimo ſeptenario* ceſſent menſtrua. Notandum eſt obiter ab hac variâ fibrarum duritiè plurimum pendere

dere diversam illam mensium, tum *erumpentium*, tum *cessantium*, tempestatem.

In *prægnantibus* penitus deficiunt menses; id verò unde fit, nisi quòd aliò, ad *fætum* scilicet remittitur sanguis plethoricus? Interdum quidem in *matre* reperitur uberior^a sanguinis copia, quàm quæ in *alimentum fætûs* infumi possit, ita ut, *gravidæ* licèt, non deficiant menses: itaque hæ, quibus etiãsi prægnantibus fluunt, *habiliores* plerumque, & humoribus turgentes observantur. *Tertiã* verò *periodo* elapsã supprimuntur penitus menstrua; quia fœtu tandem crescente, ita ut plenius alimentum postulet, minuitur *plethora*. Quòd si ad ultimos menses præstiterint, *fætus* solet esse *valetudinarius* admodum & *imbecillis*: adeò vera est illa *Hippocratis* observatio^b, *mulieri utero gerenti si purgationes prodeant*, (i. e.) solennes aut immodicæ, *impossibile esse, ut fætus sit sanus*: cujus rei rationem alibi exponit, *mensibus nempe fætûs augmentum dimitti*^c. Ita *gravidæ* si *lac* ex mammis profluxerit, imbecillum est quod intus gerit, annotante *Celso*^d, quia scilicet eas sanguinis suppetias hauriunt *mammæ*, unde debuit nutriri *fætus*.

Pari modo *lactantibus* defunt menses; quia ad *mammæ* avertitur sanguis exuberans, ut in *lac*, quo alatur *fætus*, abeat: quod & notat *Hippocrates*^e, & quomodo ad mammæ potissimùm dirigatur, satis *mechanicè*^f exponit. I-

^a *Hild. c. 5. obs. 41. Cummius Med. Sept. 37.*

^b *Aph. V. 60.*

Morb. Mul. I. 44.

^c *Morb. Mul. I. 40.*

^d *Lib. 2. cap. 7.*

^e *Morb. Mul. I. 99.*

^f *Nat. Puer. 21 & 22.*

gitur in his, quia nulla ad vasa sit *plethora*, sine noxâ retinentur menses, ideo neque, provocari debent. Quòd si etiam *lactanti* fluant, necesse est ut illi post ea, quæ pro lacte fiunt, impendia, sanguis adhuc *redundet*: ideo præcipuè in *nutricibus macilentis*, utpote sanguine plurimùm turgentibus, reperiuntur menstrua.

Adeò omnino à *plethorâ* pendet fluxus menstruus, ut si *vasa uterina* paulò robustiora sint, aut vitio aliquo obstructa, sanguis alium sibi aditum patefaciat: ita frequenter profluvii uterini alia evacuatio est vicaria. Apud authores passim memorantur foeminae, quibus, mensuris suppressis, sanguis statò tempore per *hæmorrhoidas*^a, per *nares*^b, per *poros cutaneos*^c, etiam per *urinam*^d, & *vomitum*^e rejectus saluti fuit: quod in *aphorismis*, *criseos* signum rectè ponit *Hippocrates*^f. Quòd si vicaria hæc reprimatur evacuatio, gravia insequuntur symptomata: uti frequens experientia satis testatur. Extra dubium est quibuscunque è canalibus prodeat, periodicum hoc à *plethorâ* excitari profluvium (est enim *salutare*) & *menstruorum* nomine insigniri debere; hæc enim non tam evacuationis *locus*, quàm *quantitas* & *tempus* denominat & distinguit: quæ tamen magis amant per *uterum*, uti diximus, expurgari, nisi aliquod in uterinis vasis sit vitium; quod semper accidit, cùm aliæ sanguini aperiuntur viæ. Ita in hoc casu natura ipsa per *hæmorrhagiam*,

^a Sennert. Prax. lib. 3. Bonet. Med. Sep. 36. ^b Borrich. Med. Sep. 37. ^c Dolæus 636. ^d Salmuth. c. 3. Obs. 36. ^e Hæchstetter. Dec. 2. Cas. 6. ^f Aph. V. 32 & 33.

quæcunque ea sit, foeminas *plethorâ* laborantes levat: idem fit, si per venæsectionem *arte* fiat depletio, ubi in sano corpore tantum peccat *plethora*. Quin in iis quæ per *uterum* rite purgantur, menses semper imminuit, non rarò etiam sistit, missus è brachio sanguis. Eodem modo si plethorica sit mulier, *abortum* præcavet *phlebotomia*. Mira quidem est & ad hanc rem maximè apposita, quam de muliere quâdam *Platerus*^a narrat, historia; “ cui post
“ ablatum excectumque uterum menses dein-
“ ceps, cum purgationis tempus instaret, per
“ vicinam anum, stato tempore, & colore con-
“ venienti, effluxere. Sanitati restituta diu
“ postea vixit non aliis usa remediis, quàm quòd,
“ cum menstrua per podicem segniùs fluerent,
“ venam juxta malleolum quandoque aperiret. Satis manifestum est in muliere hâc eandem, ac ante uterum excectum, accumulata esse *plethoram*, & menstrua solenniter fluxisse: quæ quomodo, cum paulò segniùs fluerent, à *venæsectione* cieri & promoveri possent, in sequentibus ostendetur. Memorantur apud *Zacutum*^b menstrua per *pollicem* periodicè erumpentia, quæ si fortè parciùs fluerent, accessit *capitis dolor*, & *febris*.

Neque sanè adeò mira res est menses per *pollicem* excerni, siquidem apud authores non infrequens sit *sanguinis per digitos*^c *evacuati* mentio. Cuidam, ab infantia usque ad annum ætatis 24, effluxit, unoquoque *plenilunio*, ex *pollice*^d

^a *Observ. Med. lib. 3.*
Morb. Mul. 469.

^b *Prax. Hist. 1. 3.*

^c *Mercat.*

^d *Philos. Transf. numero 272.*

sanguis primo quidem ad $\frac{3}{4}$, deinde post annum 16. ad lb. 15. Quo fluxu temere demum inhibito, in *hæmoptoen* coniectus est. Alteri ex *indice*^a, singulis ferè mensibus, per annos 12. usque ad lib. 4. prorupit sanguis: in quâ quidem historiâ hæc imprimis notatu digna videntur, 1. Quòd si *restricta* fuerit evacuatio, circa brachia exortus est *dolor* acerrimus. 2. Quòd quò *rariùs* rediret periodus, eò *copiosius* effluxit sanguis. 3. Quòd à *potatione* semper *increscebat* fluxus. Quæ omnia cum *mensium phænomenis* optimè consentiunt.


Hoc loco non alienum erit periodicum illud memorare, quod in *viris* etiam interdum reperitur, sanguinis profluvium. Sunt quibus stata fit per *hæmorrhoidas*^b evacuatio, in aliis *periodica hæmoptoe*^c, in nonnullis etiam *mictus sanguineus*^d, certis temporibus recurrens, observatur. Hujusmodi enim fluxus, pari modo atque in *scæminis*, à *plethorâ* oritur, & sanitati plurimum prodest; quòd si in iis supprimatur solennis hæc purgatio, succedit morbus; uti quidam, cujus meminit^e *Salmuthus*, “hibito mictu sanguinis periodico, in summam pectoris angustiam & compressionem, maximamque spirandi difficultatem incidit, eâque paucos intra dies extinctus est.” Pari modo ac *ulcera & fonticuli*, quibus diu evacuari consueverint humores, si subitò siccantur, periculo rarò vacant.

Illud etiam observatum dignum est, periodicâ

^a *Philos. Transf. num. 171.* ^b *Amat. Lusit. l. 5. 3. Barthol. c. 5. 53.* ^c *Salmuth. c. 2, 3, & 18.* ^d *Id. c. 3. 47.* ^e *Ibid.*

evacuatione in hujusmodi *viris* suppressâ, non modò sanitatem extingui, sed eadem prorsus, ac quæ *fæminis* menstruo levamine destitutis accidere solent, oriri symptomata; ita ut, si suppressio diuturnior sit, evadant planè *hysterici*. In quem etiam morbum facilè incidunt, qui vitam agunt nimis *otiosam*: à quâ quidem *plethoræ* origo in præcedentibus deducta est.

Quòd si in *viris* hujusmodi crescat *plethora*, quæ fluxum periodicum concitat; si porrò, deficiente fluxu, eadem, quæ in *fœminis* ob menses inhibitos, oriantur symptomata; quidni etiam in *muliere* menses moveat *plethora*, & morbos, qui à suppressis mensibus proveniunt, inducat?



C A P. IX.

De iis quæ aut citiùs cient, aut diutiùs retardant Menses.

EXplicatis igitur fluxûs menstrui phænomenis, erit forsan non inutilis opera rerum earum vires paulùm expendere, quarum intervntu aut *maturiùs*, aut *tardiùs* moventur menses: his enim rite intellectis, si quando vitiatum fuerit hoc profluvium, istius mali non modò *causam* meliùs assequemur, sed & *curationem* feliciùs auspiciabimur.

Ex iis quæ *maturiùs* cient menses, præcipua sunt,

sunt, febris, coitus, potatio largior, motus violentus, vomitus, sternutatio, iracundia, passio hysterica, solennis evacuatio inhibita, *Plantæ Emmenagogæ* dictæ: quæ omnia aut sanguini *plethoram* introducunt, aut *stimulo* quodam vasa irritant.

In *febre* enim, cùm semper augeatur sanguinis *velocitas*, immò frequenter & *copia*, etiam intensius erit, quo canalium latera feriat & distendat, *momentum*: ita in hunc motum excitatus sanguis, tenera uteri vascula, modo à nobis antea exposito, facilè perrumpet. Quæ etiam cùm ætate longâ induruerint, sanguini *febriliter* æstuanti non semper resistunt; uti in muliere quâdam, cujus meminit *Bohnius*^a, evenit, quæ, ingruente *febre*, octogenaria mensibus purgata est.

Eodem modo in *variolis* haud rarò provocatur sæpius fluxus menstruus, nempe à *febre*; qui cùm proximo ante *crisin* die invadere solet, uti observant *præctici*, peccantis fortè materiæ aliquid abducit, & morbum judicat. Igitur menses, si *variolis* supervenerint, rarò cohibuit, sed suo more uti permisit, *præcticus* idem & scriptor integerrimus, *Sydenhamus*^b. Hinc *febres acutas* mensibus erumpentibus solvi docet *Hippocrates*^c. Pari modo in sceminâ plethoricâ *febrem synochum* mensibus ad septem dies fluentibus terminari scribit *Forestus*^d. Quòd si hujusmodi fluxus *criticus* turbetur, gravissima sæpè insequuntur *pectoris* aut *capi-*

^a *Circ. Anat.* p. 243. ^b *Morb. Acut. Hist.* 289. ^c *Coac. Pran.* f. 226. ^d *Lib. 1. Obs.* 20.

tis mala; uti in tribus puellis observat Borrichius ^a.

A *coitu*, præter motum illum, quo uterina vasa cæteræque corporis partes turgent atque incalescunt, admissio femine intensiùs rarefcit sanguis, & velociùs per canales circulatur, ita ut impedimenta quævis faciliùs perfringat. Igitur apud *Hippocratem*, sanguinem attenuare & calefacere perhibetur *coitus* ^b, & mensibus faciliorem exitum præsternere ^c. Hunc à virili femine sanguinis motum cieri satis ostendunt ea, quæ foeminis sub *conceptionis* tempus ingruunt, symptomata. Inde est, quòd ultimum suppressionis menstruæ remediùm vulgò habeatur *coitus*: quem ideò foeminis passim commendat *Hippocrates*. Qui tamen si *immodicus* fuerit, *immodicum* etiam fluxum excitabit: uti experiuntur *prægnantes*, quæ eâ sæpe de causâ *abortiunt*.

A *potu largiori* quomodo sanguini inferatur *plethora*, & proinde rapidior circuitus, ex re ipsâ satis apparet.

Motu violento non tantùm sanguinis calor increfcit, sed particulæ etiam magis fluidæ, & tenues fiunt. Contractio enim musculorum, quæ in *motu violento* fit, non modò serosiorrem sanguinis partem per poros abducit, sed id, quod intra canales circulatur, comprimendo attenuat & comminuit; ita ut auctâ velocitate fortiùs increbrescat fluidi *momentum*, & major vasorum *distensio*: unde facilior sanguini aperiatur

^a *Abt. Hasn. vol. 2. 195.*
tu. f. 7.

^b *Diat. 2. 36.*

^c *Geni-*

exitus. Ita *saltantibus* improvisò sæpe erumpunt menses.

Ad *motum violentum* referri possunt *vomitibus*, & *sternutatio*^a: in quibus quidem non modò validissimè movetur ventriculus & diaphragma, sed vicinùs etiam *uterus* ita agitur & concutitur, ut vasa, collisu hoc disrupta, sanguini locum cedant. Idem efficit corporis in *passione hysterica convulsio*; quod in virgine quâdam observat *Platerus*^b.

Affectus animi quomodo *sanguini* novos motus introducant, fortasse arduum est explicare; quòd verò introducant, certissimum. In *iracundiâ* præsertim validiùs contrahitur cor, increbrescit pulsus, scintillant oculi, inardescunt genæ; quæ omnia sanguinem *motu concitatio*re ferri arguunt, adeòque majore impetu in canalium latera impingere: qui si violentiùs impingat, facilè dissiliunt vasa uterina.

Ab *evacuatione solenni inhibitâ* provocantur menses, quia major in sanguine accumulatur *plethora*; uti contra, si præcesserit evacuatio nimia supprimuntur, quia tum deficit *plethora*.

Plantæ Emmenagogæ, cùm *sale volatili* ut plurimùm refertæ sint, sanguinis particulas incidunt atque attenuant, & in motum vividiorrem exfuscitant. De harum viribus, & operandi modo in sequentibus dicetur; sufficiat hoc in loco id solùm annotare, nulla dari *Emmenagoga*, quæ non aliquo modo *momentum* sanguinis intendant: aucto verò sanguinis momento, erumpunt menses.

^a *Hildan. c. 3. obs. 58.*

^b *Obs. Med. p. 191.*

Huc etiam referatur *victus acris, tenuis, & copiosus*: cujus exempla passim in *Authoribus* legenda.

Alia sunt, quæ menses *maturius* cient; sed ea omnia ad has, quas jam percurrimus, classes reduci possunt: aut enim *vim* aliquam vasis imprimunt aut sanguini inducunt *plethoram*, uti & faciunt ea, quæ jam explicuimus: quòd si hoc modo semper agant, & hujusmodi effectus producant, verisimile est eadem esse in movendis mensibus etiam *naturæ* instrumenta.

Si quis dicat in *Febre, motu violento &c.* sanguinem *rarefcere* tantùm, & cursu velociore circumagi, *plethorâ* verò minimè laborare, meminerit ab hâc ipsâ *rariore* sanguinis texturâ, respectu *vasorum*, veram exurgere *plethoram*. Si enim sanguinis particulæ, sive comminutæ, sive quocunque modo divisæ, majus spatium occupent latera canalium æquè distendent, ac si aucta esset humorum *copia*. Ita sanguine rarefacto, erit quæ *ad vasa* dicitur *plethora*. Id etiam reponi potest, plerasque *Febres*, non secus ac menses, à *plethorâ* ortum ducere.

Contrà, ea quibus menses retardantur, sunt *Frigus immodicum, mæstitia, repentina exanimatio, evacuatio nimia, victus incrassans, humorum cruditas, pharmaca astringentia*: & hæc quidem omnia aut sanguinis *lentorem* augment, aut *momentum* imminuunt.

Uti enim *calore* rarefcit sanguis & relaxantur fibræ; ita *frigore* nimio constringuntur arctius vasa, & rigescunt. In muliebri igitur *plethorâ*, cum fluidi quantitas redundet, vasa
frigoris

frigore constricta exitum negant; nec tamen ita sunt capacia, ut per ea liberè satis moveatur sanguis: unde necesse est, ut aliqua sanguinis pars tandem in minimis canalibus stagnet; *stagnando* autem paulatim imminuetur motus sanguinis, & orietur *visciditas*. Ita utroque nomine menstrua retardat frigus, quia tum *vasa* constringit & roborat, tum ipsi *sanguini* lentorem tarditatemque inducit: hinc minor vis fluidi ad latera rumpenda. Igitur *aëri frigido* paucitatem suppressionemque mensuum tribuit *Hippocrates*, quam & in *Septentrionalibus* esse popularem refert^a. Quòd si *frigus*, *illæso utero*, cæteras corporis partes repentiè corripit, fluxum si jam adsit, promovet: impeditâ enim perspiratione, major suppetit humorum copia per *uterum*, *frigore intactum*, evacuanda. Ita sæpe sub fine profluvii, foeminis, quæ *subuculas* paulò *humidiores* induunt, uberiùs prorumpit sanguis. In his quippe protinus recrudescunt menses, etiamsi cessasse videantur.

Cum *mæstitiâ* semper conjungitur motus sanguinis *tardior*: igitur si *timor* & *tristitia* diutiùs perseverant, *melancholiam* adesse pronuntiat *Hippocrates*^b: in *melancholicis* porrò observatur *pulsus rarus*, & *facies pallida*, ob impetum scilicet sanguinis minorem. Ex motu enim imminuto fit, ut tardiùs ad *cerebrum* perveniat sanguis, à cerebro item ut segniùs in *cor* deriventur spiritus: momento igitur languente, *vasa* non ita facilè perumpet sanguis.

^a De Aëre 48.

^b Aph. 6. 23.

Par est ratio *exanimationis repentinæ*: in eâ enim dissipantur prorsus spiritus, ita ut cor viribus destitutum laboret admodum, & sanguinem vix queat protrudere: unde tardior sanguinis cursus, & debilius momentum. Ita narium *hæmorrhagia* subito terrore sæpe restinguitur.

Menses, si præcesserit *evacuatio nimia*, sisti, aut saltem retardari debere, satis manifestum est: deficit enim, qui fluxum provocet, sanguis. Ita post *partum* multæ *duas* vel *tres* periodos intermittunt; quia nempe *lochiorum* fluxu penè exhausti sint humores. Pariter à *diuturniore morbo* imminuuntur menstrua, quia aut non suppetit sanguis, aut in partium nutritionem impenditur. *Balnea & æstuaria* sudorem nimium promovendo, *plethoram* ideo & menses imminuunt, & tardant. Idem de *ulceribus, & fonticulis* diuturnis annotandum est. Novi etiam mulierem, cui ex *Theæ* potu urina nimia profluxerat, mensibus vice proximâ immunem: alia à *venâ* liberiùs *sectâ* ad spatium *trimestre* non purgata est. Etiam inter *salivandum* foeminæ defecisse menstrua comper tum habeo: in quâ quidem hoc singulare & notatu dignum evenit, quòd die proximo ante *salivæ* fluxum ab *utero* eruperunt menses, proruente verò à glandulis *salivâ* intercepti sunt. Ita, itinere per inferiora præcluso, statim per *nares* effluxit sanguis, & eâ quidem copiâ, ac ab *utero* remitti consueverat: deinde, *bimestris salivationis* decursu, intra vasa quietus substitit. Pari modo se habent mulierès, si aliò

traducitur humorum copia; igitur in *hydrope* menses fisti monet *Hippocrates*^a; paucioresque fieri & tandem deficere, si in *utero* crescat *aqua intercus*^b.

Mensibus etiam officiant *victus incrassans*, & *humorum cruditas*: quia, cum chylus viscidior sit, sanguis ferè semper in *capillaribus* stagnat, difficiliùs certè & parciùs à sanguine separantur spiritus; unde imbecillior circulatio, & vis minor. Ita in iis sæpe supprimuntur menses, quæ *lactis* usui nimiùm indulgent; aut *cretacea* comedunt, uti pravissimum est *virginæ morbi* ingenium. Idem efficit *vita otiosa*, & *nimia frigida potatio*; unde ab *aquis crudis & frigidis* menses vitari admodum & imminui, uti etiam & *lac*, testatur *Hippocrates*^c. A quibus etiam imprudenter potis non tantùm *mensium suppressionem*, sed & *mortem* aliquando sequi narrat *Forestus*^d.

Pharmaca denique *Astringentia* in causâ sunt, cur tardiùs fluant menses, quia & uterina vasa corroborant, & sanguinem magis viscidum & cohærentem efficiunt: ortæ ab his suppressionis menstruæ historiam satis notabilem refert *Actuarius*^e. Quomodo verò ab *astringentibus* hujusmodi oriatur effectus, dicitur postea, cum de menstrui fluxûs vitiis, eorumque remediis, tractaturi sumus doctrinam.

Hoc etiam de iis, quæ menses aut *maturiùs* aut *tardiùs* cient, annotari debet, quòd si paulò diutiùs aut violentiùs increbuerit eorum

^a *Morb. Mul.* 1. 2. f. 7.


^b *Morb. Mul.* 1. 85.

^c *De Aq.*

^d *Lib.* 28. ob. 3.

^e *De Pavid. Urin.* 2. 12.

usus, *causæ* fiunt, quas authores vocant, *evidentes* purgationis menstruæ tum *penitus suppressæ*, tum *immodicè profluentis*.



C A P. X.

De Symptomatis quæ à suppressis Mensibus oriuntur.

CUM non minùs atrocia quàm contraria mensium occurrant vitia, *fluxus* nempe *immodicus*, *nimiaq; retentio*, cùm porrò ab horum alterutro ferè semper derivetur omnis illa muliebrium morborum *Ilias*, (eos enim enasci, cùm aut *plura* aut *pauciora* sint menstrua, docet *Hippocrates*^a) non abs re erit rationem exponere, quâ fit, ut à *mensibus vitiatis* tot tantaque oriantur symptomata. Quia verò longè frequentissimum est malum, & inter *virgines* penè *epidemicum*, *mensium imminutio*, ab eâ disquisitionem ordiamur: siquidem nullus ferè in *puellis* reperitur morbus, qui non hanc aut comitem, aut causam agnoscat.

Imminutionis varii sunt gradus; aut enim *parciùs*, aut *tardiùs*, aut etiam *difficiliùs*, aut, quod frequenter fit, non omnino fluunt menses: *suppressos* verò atrocissima omnium sequuntur symptomata: quos quæ provocare denuo possunt *pharmaca*, eadem etiam quocunque modo imminutis profunt: ita ut si *suppressio* mensium

^a Aph. 5. 57.

pleniùs explicetur, cæteræ *imminutionis* species facillimè & intelligi, & curari queant.

Obstructis igitur mensibus, non tam certa aliqua & *diagnostica*, uti cæteris affectibus, superveniunt symptomata, quàm universi ferè, quibus humanum corpus laborat, morbi. Et primò quidem, *suppressione* adhuc *recente*, ingravescunt præcipuè ea, quæ *instante fluxu* sæpius ingruere diximus, symptomata, *dolor & æstus partium vicinarum, cephalalgia, appetitûs remissio, & languor*: quæ quomodo *plethoræ* respondeant, suprà ostensum est. Hæc deinde longum malorum agmen subsequitur, *uteri inflammatio*, aliquando etiam *gangræna, articularum pulsatio, dorsi & articularum dolor, frigoris calorisque vicissitudo, venarum varices, tumores in cruribus præsertim, & pedibus, & hypochondriis; totius corporis gravitas & imbecillitas, tormina inflationesque ventris colicæ haud absimiles, flatus etiam & murmura, vomitus, ad præcordia anxietas, tussis, dyspnœa, asthma, tabes, cordis palpitatio, & syncope; in capite dolor acerrimus, ad sinciput præsertim & occiput, oculorum gravitas, vertigo, nonnunquam apoplexia & insania, pallor, fluor albus, passiones hystericæ, globus præsertim quasi in gutture sursum reptans, urina aliquando stillans, aliquando suppressa, alvus dura, sanguinis per aliena loca eruptio. Hæc ferè à suppressione menstruâ oriuntur symptomata, in aliis alia: quæ tamen omnia non inconcinnè à *plethorâ* deduci possunt.*

Cùm verò horum alia à solâ sanguinis *quan-*

titate auctâ, alia rursus à *qualitate* etiam vi-
 tiatâ oriantur, videndum est quales potissimum
 affectus inferat aucta quantitas, sive *plethora*.
 Quoniam autem *plethora per se* spectata men-
 ses, uti *capite sexto* ostensum est, nequeat sup-
 primere, sequitur, ut in *vasis* quærenda sit sup-
 pressionis causa: omnis quippe suppressio, *mor-*
bosa saltem, vel à *vasorum*, vel à *sanguinis* vi-
 tio derivatur. *Vasis* igitur *uterinis* ita con-
 strictis, ut nullus sanguini pateat egressus, pro-
 pter eam quam explicuimus humorum *redun-*
dantiam, *momentum* sanguinis intenditur, quia
 nempe non augetur modò *quantitas*, sed &
velocitas; quæ semper, nisi adsit *lentor*, est
 in *ratione copiae*. Quò enim uberior sit san-
 guinis *quantitas*, eò major erit spirituum secre-
 tio: ab his verò cum pendeat cordis ad sangui-
 nem circulandum vis, validior frequentiorque
 fiet contractio; unde *velocior* etiam per vasa san-
 guinis circuitus. Cum itaque tum *moles*, tum
momentum sanguinis increseat, orietur etiam
calor humorum intensior, & canalium validior
distensio, & proinde quicquid à *nimiâ distensio-*
ne proficiscitur: cuiusmodi sunt ea, quæ *instan-*
te fluxu sæpius ingruere solent symptomata;
 quibus adjici possunt *vasorum tumor*, & *pulsa-*
tio: & hæc quidem præ cæteris patiuntur eæ,
 quibus suppressionis causa fuerit *vasorum tena-*
citas. Ideo signum *diagnosticon* habetur à *vaso-*
rum vitio suppressionem provenisse, si adsit *do-*
lor circa *uterum tensivus*, *venarum tumor*, fa-
 ciei *color floridus*: quod etiam certius erit, si
fortius increbrescat *pulsus*. Erit enim in *ple-*
thorâ,

thorâ, quæ *qualitatem* sanguinis nondum vitiat, *pulsus validus, plenus, creber*: *validus* quidem, quia cum uberior sit sanguinis copia, largior etiam erit spirituum secretio: ita cor spiritibus magis instructum, fortiusq; se contrahens, majori impetu sanguinem in arterias protrudet; qui ideo vehementi ictu in arteriarum latera impinget, & *pulsus validiorem* excitabit. Cum porò in *plethorâ* amplior sanguinis moles in canalibus continetur, amplius etiam spatium occupabit, & arteriarum tunicas magis extrorsum trudet, sive *pulsus* ad digitum sentietur *plenior*. *Crebriorem* etiam *pulsus* inferet *plethora*, quia tum copiosius in cordis *ventriculos* influit sanguis, ita ut cor stimulo quodam in contractionem citius suscitetur; tum uberiùs etiam in fibras cordis musculares derivantur spiritus; ita ut cor motum suum exercere possit frequentius. Unde in arteriis *pulsus crebrior*.

Ad hunc modum tum *ictu* tum *tempore* incitator fiet *pulsus*, donec ad augmenti *summam* pervenerit *plethora*: est enim certus quidam plenitudinis gradus, ultra quem, illæsâ *qualitate* sanguinis, augeri nequeat *quantitas*. Hoc à *plenitudine* periculum optimè intellexit *Hippocrates*: *Athletas* enim, quorum habitus ad *summum* bonæ valetudinis *gradum* pervenit, in eo diu manere & consistere non posse asserit; quippe si quid ulterius adjicitur, periculo non vacat^a. Itaque hanc *bonam* *habitudinem* citò *solvendam* esse monet. *Plethora* enim diu nequit incrementum, quin comitem sibi adsciscat san-

^a *Aph.* 1. 3.

guinis *lentorem*. Quippe cùm, instante fluxu menstruo, ea, quam priùs exposuimus, sit vasorum *distensio*, quia scilicet *quantitas*, & proinde etiam *momentum* sanguinis *decimâ* ferè parte augetur; si menses ad *duas periodos* subsisterint, moles sanguinea *quintâ* ferè parte solito uberior erit, nisi aliæ evacuationes auctæ fuerint; adeoque eâdem ratione increfcet ea, quâ latera vasorum à fluido circulante urgentur, *pressio*: quam à *vasis* citra virium noxam sustineri posse nemo credet, qui, quàm graviter ea sub *primæ periodi* incursum laborent, meminerit. Et hic quidem à *plethorâ lentor* tribus modis deducitur. 1. Enim ab ipsâ *copiâ* oriri potest, quæ ita supra modum intra vasa turgescit, ut ea, utcunque distenta, satis amplum sanguini circulando spatium præbere nequeant, nisi penitus dissiliant fibræ; ita ut, cùm uberior sit, quàm pro vasorum capacitate, fluidi moles, majorem patiatur renitentiam sanguis redundans. Quò fit ut particulæ ipsius, tum à canalium tunicis, tum à præcedenti liquido, cui continuo affricantur, quasi retropulsæ & retardatæ, in angustius spatium coeant, seu *tenaciùs* inter se coalescant: quæ etiam, quia mole nimium excrescunt, in *capillaribus* sensim stagnabunt; unde iterum circuitu per hæc minima vasa aliquatenus impedito, major erit in cæteris canalibus globulorum inter se invicem renitentia, & proinde strictior cohærentia, sive *lentor*. 2. *Lentorem* inducet *motus cordis* in *plethorâ* tandem *imminutus*. Cùm enim ultra determinatum quendam gradum intumescant

tumescant vasa sanguinea, nervos circumpositos non in cerebro modò, sed & in ipso corde, ita fortiter constringent, ut parcius fluat in fibras cordis spirituum copia, unde *motus cordis debilior*. Itaque sanguis, quò minore cum impetu protruditur, eò faciliùs à quâcunque re-nitentiâ retardatur, adeoque promptiùs ad *lentorem* perducitur. 3. Sanguinis etiam *lentorem* promovet *partium tenuiorum absumptio*. Cùm enim vasa distendat admodum sanguis plethoricus, ea contrà reciprocata quâdam actione in sanguinem nituntur; ita ut ipsius particulæ à tunicis vasorum repercussæ à pressione recedere contentur: quò fit, ut tum per vasorum *poros*, tum per ductus *secretorios* exprimatur quicquid fuerit sanguinis *tenuis & aquosum*: ita particulis fluidioribus continuo extrusis, necesse est, ut sanguinis reliqui *compages* sit *arctior* multò, & *constrictior*. Igitur si non omnino prodeant menses, eos præ morbo aut *crassos*, aut *viscosos*, aut *glutinosos* fieri docet *Hippocrates*^a. Adeò ut, licet hæc quæ sequuntur symptomata à *plethorâ* proficisci queant, magnâ tamen ex parte *plethoræ cum lentore conjunctæ* ortum debent accedente saltem *lentore* in deterius eunt: qui tamen *lentor* cùm à *plethorâ* proveniat, minimè obstat, quò minus symptomatum, quæ *suppressis à vasorum vitio* mensibus superveniunt, causa agnoscat *plethora*. Atque hoc animo tenebit lector, ut eadem sæpius iterandi tædio parcatur.

^a *Morb. Mul. I. 10.*

Cùm autem *plethoræ* accesserit *lentor*, evanescit illa, quæ suppressioni à *vasis* ortæ propria est, *pulsus vehementia*: quippe ita vim pristinam remittit *pulsus*, ut jam tandem *imbecillis*, *rarus*, atque *inaequalis* fiat. *Lentore* enim inducto, propter compagem sanguinis strictiorem parcior fit spirituum secretio: spiritibus verò minùs copiosè influentibus, & corde adeò debiliùs contracto, *imbecillior* erit sanguinis in arterias projectio. Unde etiam *pulsus imbecillis*. Ad hoc illud etiam accedit, *pondus* nempe sanguinis in *plethorâ* auctum: ita, cùm major moles movenda sit, impetu debiliore sanguinem extrudet cor. Increfcet adhuc *pulsus imbecillitas*, eò quòd, cùm major sit sanguinis viscosi quantitas, major erit particularum inter se nisus & affricus, earumque difficilior à se invicem divulsio: unde minor sanguinis, propter majorem resistantiam, *velocitas*, & *pulsus* proinde *imbecillior*. *Velocitate* porrò *imminutâ*, ad nervorum origines *tardiùs* deducitur, qui in spiritus abire debet, sanguis: itaque ii, qui jam in nervis hospitantur, spiritus minùs protrusi, segniùs in cordis fibras influunt; unde longioribus intervallis iteratur cordis contractio, & *varior* fit *pulsus*. Etiam *inaequalis* erit *pulsus*, tum *ictus* tum *intervalli* respectu; quia, cùm novus continuò ferè in sanguinem *lentescentem* traducatur *chylus*, fieri nequit, ut æqualis sit sanguinis totius temperatio, eademque particularum omnium cohærentia: molis igitur sanguinæ cùm pars alia sit tenuior, alia rursus viscidior, pro varietate

texturæ,

texturæ, quâ gaudet sanguis ad nervorum of-
 cula allabens, varia erit spirituum secretorum
 copia, à sanguine scil. laxiore major, à con-
 strictiore minor: ita spiritibus *inæqualiter* ad
 cor derivatis, *inæqualis* etiam erit cordis *con-*
tractio, non quoad *tempus* modò, sed & *im-*
petum. Itidem *pulsus inæqualem* efficiet san-
 guinis, qui in cordis ventriculos influit, *crasis*
inæqualis: lentum enim sanguinem, utpote
 compactum magis & renitentem, tardius &
 debiliùs projicit cordis *systole*; *tenuem* verò,
 minore resistentiâ præditum, eadem vis citiùs
 & validiùs extrudit.

Eodem modo se habet *pulsus*, si suppressio-
 nis origo ab alterâ quam attulimus causâ pro-
 venerit, *sanguinis* scilicet *qualitate* vitiatâ;
 ea enim, quanquam variis modis inquinari po-
 test, nullis tamen ita vitiosa fiet, ut menses va-
 leat restringere, nisi simul adsit *lentor*. Igitur
 in hoc casu, tanquam *unicum* sanguinis vitium,
 habendus est *lentor*: à quo *suppressionem* in-
 ferri posse superiora satis evincunt. Ita quem-
 admodum *plethora* sanguini tandem *lentorem*
 inducit, sic etiam *lentor plethora* parit: ob-
 structis quippe crasso sanguine arteriis *capilla-*
ribus, intra reliqua vasa coacervatur ea, quæ
 singulis mensibus effundi debuit, sanguinis por-
 tio. Ita quâcunque de causâ supprimantur
 menses, exurget tandem *plethora*, quæ quo-
 modo inferat ea, quæ à suppressis mensibus se-
 qui solent, symptomata, paulò jam distinctiùs
 explicandum est.

Redundante igitur in *uteri vasis* sanguinis
 copiâ,

copiâ, cùm aliqua ejus pars firmiùs hæreat, & abripi per tenuia capillaria non possit; *arteriola*, in quibus hæc inchoatur obstructio, magis magisque sensim extrorsum trudentur ab eo, qui continuò allabatur, sanguine: qui, succedente ob partium nisum calore, calorem pariter concipiet, & *inflammationem* pariet: quæ frequentius fit, quando in *ipso fluxu* subitò restricti sunt menses. Perdurante *inflammatione*, si partes solidæ ab humoribus corrosæ & laceratæ fuerint, insequitur *Ulcus*: nonnunquam etiam, si accesserit corruptio, *gangræna*: exempla suppeditabit *Hildanus*^a.

Arteriæ vehementiùs *pulsant*, quia suppressis mensibus ita redundat sanguis, ut tum ob *copiam* quidem canalium tunicas latiùs *distendat*, tum verò ob auctum *momentum* feriat validiùs. Igitur hæc *arteriarum pulsatio* in iis præcipuè observatur, quibus, *vâsorum vitio*, recenter suppressi sunt menses. Cùm enim semel *lentorem* contraxerit sanguis, ita ut minùs velociter circuletur, cessat ea in *arteriis pulsatio*, ob momentum sanguinis debilius, quamquam minimè interim deficiat *plenitudo*. *Lentescente* quippe sanguine, parciùs separantur spiritus; unde corde motum suum admodum debiliter peragente, fluidum impetu languidiorè in arteriarum tunicas defertur: ideo ea sensim labascit *pulsatio*.

Spina dorsî frequenter *dolet*, quoniam *medulla spinalis*, uti est sensu acutissimo prædita,

^a Cent. 2. obs. 62, 63, 64.

ita *pressione* eâ, quæ ab arteriis distentis oritur, facilè affici solet. Ideo *Variolarum* imminetium signum *diagnosticon* habetur *Spinæ dolor*: quem quidem in *variolis* non secus ac in suppressis mensibus, excitat nimia vasorum *plenitudo*. Orietur etiam inveterascente morbo ad *Articulos dolor*, propter exquisitum *Periosteï* sensum: quo fit, ut, cum sanguis *copiâ & lentore* simul peccans, vasa, quæ *Periosteo* intercedente ossibus inseruntur, supra modum distendat, tenuis illa membrana multùm distrahatur, quæ tamen ad *Articulos* potissimùm distrahetur, quia circa *ossium extremitates* vasorum longè uberior copia *Periosteum* pertransit.

Frigoris calorisque vicissitudo ex iis, quæ de *Febre intermittente*, capite octavo, diximus, fatis commodè deduci potest: hæc enim *vicissitudo* nihil aliud est, quàm *Febricula*, gradu licèt multò remissiore, *intermittens*. Hinc suppressis mensibus *Quartanam* accessisse narrat *Forestus*^a. Atque hæc quidem *frigoris calorisque* per vices accessio haud futile signum est, quòd sanguis in iis, quibus supprimuntur menses, jam tum incipiat *lentescere*. Itaque in *tertiis* mensibus si mulieri non prodierint, *febrem erraticam*, & *horrorem* accedere scribit *Hippocrates*^b.

Venarum in *pedibus cruribusq;* *Varices* non tantùm à sanguinis *exuberantiâ*, sed regressu in *Venam Cavam* aliquatenus tardato oriuntur. Accumulatâ enim *plethorâ*, distenditur adedò atque intumescit *uterus*, ut necessario *ramos Iliac*

^a 3. 34.

^b *Morb. Mul.* I. 4.

cos multum comprimant; comprimendo vero sanguinis per eos refluxum moretur. Ita circuitu in *cruribus* admodum languente, intumescunt *venae*; in quibus quoniam sint *valvularum* interjectu, distinctae quasi *cellulae*, non *aequaliter* turgescunt latera, sed tumores quosdam, ut ita dicam, *geniculatos*, quos *varices* appellant, efformabunt; in iis scilicet, quae à duabus *valvulis* comprehensa sunt, *intervallis*. Quò autem magis à corde distitae sint venae, eò turgidiùs eminent *varices*: quia, cum major sit fluidi incumbentis *altitudo*, major etiam erit ad *extremitates* canalium *pressio*. Accedente *lentore* intensiùs adhuc intumescunt *varices*: quia, languente sanguinis *velocitate*, tardior multò sit per *venas iliacas* recursus.

Quòd si paulò diutiùs fiat ista à *plethorà* distensio, laterum fibrae sanguinis impetu dimotae & sejunctae ita fatiscunt, ut per ipsarum rimas humores faciliè exudent; ita aditu in vasorum interstitia semel patefacto, perenne fiet stillicidium; unde sensim increscet *tumor*. Qui ad *inferiora* potissimùm, uti *pedes*, *crura*, & *hypocondria*, nascetur; quia cum difficilior & tardior sit in his *infimis* canalibus sanguinis ad cor recursus, & gravior incumbentis fluidi moles, uti jam ostensum est, ibi major erit in latera vasorum nisus, & proinde facilior in interstitia illa fluidi eruptio. Hinc paucis quibus supprimuntur menstrua, hujusmodi *tumores* absunt: in quibusdam etiam *rheumatismi*, & *podagrae* speciem praese ferunt, quae quidem mulieres prorsus immunes esse scribit *Hippocrates*,

crates^a, nisi defecerint menses. Hos à *plethorâ tumores* proficisci ideo quoq; haud absurdè contendas, quòd *humidi temperamenti* mulieres, quibus diutiùs durant menstrua, suppresso profluvio, *citiùs* intumescunt: quale *Hippocrates* temperamentum *occidentalium*^b, quas vocat, foeminarum esse proprium observat; siquidem illi ista plaga ita *frigida & aquosa* videatur, ut incolis & *suppressionem mensium*, & proinde *tumores* inducat. Atque hi quidem *tumores*, ut plurimum *laxi* sunt, non rarò tamen in abdomine *duri*, instar *nodi* aut *tuberculi* cujusdam, observantur; in quibus id fati singulare est, quòd non jugiter excrescant, sed modò turgeant, modò penitùs subsidant, ita ut hi ad *hysterica symptomata* reducendi sint *tumores*, de quibus in sequentibus dicetur. Talia circa inguen *tubercula*, retentis mensibus, observat *Hippocrates*^c. Quòd si longiùs perseverarit suppressio, *lentore* accedente, ita sensim languescit circuitus, ut, motu per vasa minima imminuto, sanguinis particulæ tenaciùs inter se cohærentes, *obstructiones* in cæteris canalibus, *lymphaticis* præsertim, qui omnium sunt tenerrimi, facile pariant. Ita humorum *visciditas*, fibrarum *laxitati* conjuncta, *hydropem* inferet, qualem in suppressis mensibus describit *Forestus*^d. Frequenter etiam in ipso *utero* succrescit *Aqua intercus*, quam & sæpe notat *Hippocrates*^e: qui quidem morbus *virgines* potissimùm afficit, eodem annotante *Hip-*

^a *Aph.* 6. 29. ^b *De Aer.* 12. ^c *Nat. Puer.* 7. ^d 19. 34.
^e *Morb. Mul.* 1. 2.

pocrate^a, quia in iis faciliùs supprimuntur menses, uti postea dicetur. Pariter si aliæ evacuationes, uti *hæmorrhoidum*, *urinæ*, *diaphoreticos*, &c. suppressæ fuerint, propter *plethoram* in corpore coacervatam, frequentissimè succedit *hydrops*: etiam nostræ de *plethorâ* sententiæ ulterius adhuc favet quotidiana illa de *gulosis* & *bibacibus* observatio, quòd in *hydrope* præ cæteris multò procliviores sint.

Hæc quæ à canalibus nimium oppletis oriuntur mala, *Ventriculo* imprimis & *Intestinis* nocitura facilè sentiet, quisquis vasorum, ad eas partes reptantium, multitudinem penè infinitam perpendat. Quippe, ob humores plethoricos, in ipsis vasorum tunicis quædam quasi *Inflatio* sentitur: quæ cum spirituum per *nervos* influxum, uti dictum est, intercipiat, languescit admodum *motus* ille ventriculi & intestinorum *Peristalticus*, quo in tenuem *chylum* rediguntur alimenta. Ita ut his *chyloso* instrumentis, ob spirituum inopiam, minùs vividè se moventibus, non tantùm *tardiùs*, sed *imperfectiùs* etiam comminuatur *chylus*: unde etiam majore copiâ intra *primas vias* accumulatur, & quendam *plenitudinis* sensum inducit. Adhuc *crudior* erit & *viscidior* *chylus*, si adfit *lentor* sanguinis; cum enim in *lentore* motus sanguinis sit imbecillior, & cohærentia multò tenacior, non modò minor spirituum in *musculos* derivatio, sed minor etiam erit in *glandulis ventriculi*, & *intestinorum* liquidi secretio: ita ut alimenta liquido eo, quo hume-

^a *Morb. Mul.* 1. 87.

fcere & molliri solebant, defraudata, minùs ri-
te dissolvi queant; inde longior in intestinis
chyli mora, & compages crassior. Igitur ferè
semper mensium suppressorum comes esse solet
alvi pigrities: tum quia, *motu* intestinorum
imminuto, minùs detrusæ sint fæces, tum quia
præ *siccitate* per se tardiùs exire queant. Hinc
alia elucet ratio, cur plethorico sanguini neces-
sariò tandem accedat *lentor*; quia scilicet *chy-
lus*, ob motum stomachi & intestinorum in *ple-
thorâ* imminutum minùs, comminuitur, adeò-
que magis crassescens cum sanguine circulatur.
Vera quippe est *veterum* sententia, id quod in
primâ concoctione crudum est, in *secundâ* aut
tertiâ nunquam digeri. Et hunc quidem *chyli*
lentorem suppressioni menstruæ brevi succedere
satis manifestum est, quod mulierum quibus sup-
pressi sunt menses prima ferè semper sit de *Ven-
triculo* læso querimonia. Hinc sanguis cras-
sior factus minutissima, quæ per *faciem* excur-
runt, vasa nequit pervadere; unde *genæ pal-
lidæ, & decolores*.

Chylus autem, si diutiùs æquo in his pomœri-
is moretur, ea vitia contrahet, quæ liquoribus
stagnantibus ferè semper adsunt, cujusmodi sunt
Putredo, & Acor: cùm verò sine quodam
partium *motu putrescere* nequeat *chylus*, quic-
quid *aëris* in eo continetur, fortiùs quoque a-
gitabitur: qui si *intus* sit conclusus, *flatus &
murmura* excitabit: si *foras* eliminatus, *ru-
etum*. Multifariam autem oriuntur ventriculi
& intestinorum *tormina*, tum quia canalium
fibras *intus* vehementer admodum distrahit
sanguis

sanguis plethoricus, tum quia *extrà* chylus jam in *Acidum* mutatus pungit, vellicatque: utràvis enim de causâ inferetur *Dolor*: qui si intensior sit, stimulo suo musculofam *ventriculi* tunicam laceffet, eâque adeò violentiùs contractâ, *Vomitum* provocabit.

In *corpore* sentitur *gravitas*, quia solenni mensium evacuatione inhibitâ, tum reverà crescit corporis *pondus*, tum imminuuntur etiam *vires*: quæ quâdocunque deficiunt, corpus, etiam si reverà *levius* sit, *sentienti* tamen *gravius* videtur. Si enim dimidias ei, qui pondus sustinere debet, vires detraxeris, idem est ac si duplum imposueris. Suppressis verò mensibus sequitur virium *imbecillitas*, quia vasa sanguinea & in cerebro & in cæteris quibuscunque corporis partibus ita supra modum intumescunt, ut nervos, quibus adjacent, premant admodum & constringant; adeò ut tum minor liquidi nervosi fiat secretio; tum minor etiam, pro ratione liquidi secreti, in membra derivatio. Itaq; spiritibus ad hunc modum interceptis, oriuntur *vires imbecilles*. Ita suppressis mensibus sequuntur *duo illa*, quæ apud *authores* statuuntur *plethoræ genera*; *increfcente* enim indies *ad vasa plethorâ*, tandem succedit etiam, quæ *ad vires* dicitur.

Cùm ad hunc modum canales inferciat sanguis redundans, *glandula*, utpote ex *vasculis* tenuissimis convolutæ, & carne parum suffultæ, siquæ aliæ corporis partes, labem satis promptè excipient: inter quas nullæ quidem promptiùs, quàm eæ, quæ ad internam *tracheæ* tunicam
infe-

inferuntur; quod ex *perspiratione impeditâ*, si-
ve ut vulgò loquimur, *suscepto frigore*, quoti-
die experimur. Perspiratione quippe impeditâ,
glandulæ tracheales ideo tument, quia obstru-
ctis poris cutaneis, major ad cæteras glandulas
derivatur sanguinis copia; unde major quanti-
tas materiæ per ipsas fecernitur; ita *tracheales*
hâc majori humorum copiâ oppletæ turgescunt,
atque infarciuntur. Viscidus igitur humor cùm
tracheæ glandulis semel inhæserit, nerveas
propagines, quibus circum undique vestiuntur
glandulæ, ita premit & vellicat, ut necessariò
musculi, quibus *nervi* inserviunt, in contra-
ctionem excitentur: musculis verò *tracheæ*
contractis, per *os* exprimitur *aër*, seu quod i-
dem est, fit *tussis*. Quam quidem, cùm *dysp-
nœam* comitem non habeat, ab his *glandulis*
potiùs, quàm à *pulmonibus* proficisci credimus;
quippe si in *pulmones*, inciderit materia redun-
dans, *tussim* excitare posse vix videtur, nisi &
simul inferat *spirandi molestiam*: quæ sanè in
suppressis mensibus perquam familiaris est. San-
guine enim in vasis *pulmonum* capillaribus re-
stitante, *vesiculæ bronchiales*, quæ arteriis u-
bique interjectæ sunt, tum pondere nimio la-
borant, & quendam *gravitatis* seu *anxietatis*
sensum excitant, tum in spatium angustius com-
pressæ, ad *aërem* per vices intromittendum ex-
pellendumq; ineptiores fiunt: ita ut, sanguine
magis indies stagnante, non nisi difficulter admo-
dum peragatur *respiratio*. Ita à potu largiori
dyspnœam inferri scribit *Hippocrates**. Quin

* *Prædift.* 2. 5.

graviùs adhuc lædetur respiratio, si *thoracis musculi*, uti plerumque fit, vel ita peccante materiâ oppleti sint, vel spiritibus, sive ob *plethoram* nimiam sanguinis, sive *lentorem*, destituti, ut munere suo minùs rite defungi queant, & *costas* nec validè fatis fursum *elevant*, nec deorsum *premant*: unde parcior aëris ex *vesiculis* expressio, & gravior in spirando *pulmonum* labor. Etiam aliquando ab inflatis *utero* & *hypochondriis*, oritur, aut saltem augetur *dyspnœa*; quia, *diaphragmate* fursum intra *thoracem* protruso, ita coarctatur *pectoris* cavitas, ut debitæ *pulmonum* expansioni desit spatium; unde spirandi difficultas: cui malo maximè obnoxii sunt ii, quibus *thorax* angustior est, uti experiuntur *gibbosi*. Quòd si hoc *pulmonibus* diutiùs incumbat malum, succrescet, quod gradu tantùm à *dyspnœâ* discriminatur, *asthma*.

Et hæc quidem in *pulmonibus* orientur symptomata, etiam si adhuc *intra* canales sanguineos coerceantur humores plethorici: qui si tandem *extra* vasa profluant, & in *folliculis bronchialibus* sive potius in *interstitiis* eorum sedem figant, eos multùm undique distendent; unde paulatim increscet *vomica*: quod quidem vocabulum, si *vomicam* à *phthisi pulmonari* distinctam esse volumus, humoribus *intra pulmone*s quidem effusis convenit, *vesiculâ* tamen sive *cysti* propriâ adhuc contentis; ita, quia nullum cum *bronchiis* commercium habeat, aut profundius saltem delitefcet *vomica*, nulla etiam per *tussim* fiet *puris* excretio. Nec in *interstitiis* solùm, sed & in *glandulis*, quibus plurimùm

plurimum scatet interna *bronchiorum* tunica, accrescere potest *vomica*: ex quippe *glandulae*, quanquam in sano corpore oculis vix percipi queant, accedente morbo distendi admodum possunt, & *grandescere*: quod in reliquis *glandulis*, *pericardii* puta, *pleurae*, *peritonæi*, &c. quæ extra morbum aciem oculorum fugiunt, frequenter observamus. Hujusmodi sanè *vesiculas* non semel vidi, nunquam tamen æquè conspicuas reperi, ac in foeminâ quâdam, quæ *tabe*, menses suppressos infecutâ, interiit. Hujus in sinistro latere univèrsus *pulmo* materiâ purulentâ ita differtus est, ut ad *scirrhum* penè accederet: immisso cultro exiit *pus*, non circumquâque diffluens, sed *distinctis vesiculis*, plurimum quidem *turgentibus*, non *ruptis* tamen, inclusum: quâ de re ut certior fierem, *vesiculas* quasdam aquâ tepidâ ita elui, ut omnî tandem *pure* exhausto, oculis integræ atque indivulsæ exhiberentur. Quòd si demum hæ *vesiculae* inflammatae & disruptæ fuerint, factò *ulcere*, succedit *tabes*. Cujus quidem causa frequentissima apud authores statuitur, aut evacuationis solennis suppressio^a, aut plenior alimenti ingurgitatio: utrinque scilicet ea, quam volumus, inducitur *plethora*. *Muliebrium* verò *phthiseōn* usitatissimam originem agnoscit *Mortonus*^b, menses obstructos; quas quidem, quando ab hoc fonte derivantur, *Lethales* pronuntiat *Hippocrates*^c.

Nec sua meliùs *cordi* constat, suppressis men-

^a Willis *Pharm. Rat.* 82.
2. 13. *Morb. Mul.* 1. 6.

^b *Phthisiol.* 3. 9.

^c *Præd.*

fibus, *contractionis remissionisq;* norma: accumulatis enim intra vasa pene ad rupturam usque humoribus, sanguis, qui universum ferè *aortæ* truncum obsidet, liquido, quod à *corde* protruditur, validiùs multò renititur, quàm cum minor esset in canalibus plenitudo: sanguinis enim *renitentia* est, ut *particularum copia*. Ita liquidum, hoc impeditum obstaculo, quò minùs liberè foras profluat, majore quàm consueverat copiâ intra *cor'is ventriculos* turgescit, & cor adeò nimio *pondere* laborat admodum, & pene *suffocatur*: spiritus interim in fibris motricibus compressi, & quasi *stimulo* quodam excitati, vires suas vividiùs exercent, ut sanguinem forti satis impetu foras protrudant. Corde autem vehementiùs contracto, ad *sternum* altiùs insurgit *conus*, & in *costas* ictu quodam impingit, qui proinde dicitur *palpitatio*. Ob hanc sanguinis in arteriis *renitentiam*, necesse est, ut vehementiore impetu contrahatur *cor*, quia vis ea, quâ sanguinem projicere conatur, repercussa quasi & reverberata in ipsum denuo recidit; ita ut impetus, qui in sanguinem per *arterias* propellendum fieri consuevit, in *cordis fibras* exerceatur: unde cordis violentior concussio, & altior ad *costas* insultus. Ad hunc modum si uberiùs increverit *plethora*, singulis arteriarum pulsibus *palpitabit* etiam *cor*. Adhuc molestior fiet *palpitatio*, si *plethoræ* sanguinis *lentor* accesserit; quia globulis sanguineis arctiùs inter seco hærentibus, major erit ea, quam in *aortæ* trunco fieri diximus, *renitentia*. Igitur mor-

bis iis, in quibus *lentior* reperitur sanguis, ut *rheumatismo*, *passioni hysterica*, *chlorosi* etiam & *cachexia*^a, comes ferè assidua adest *palpitatio*.

Ulteriùs porrò indies crescente *plethorâ*, cor nimix sanguinis copix succumbit; deficient quippe quæ tanto ponderi movendo pares sint, vires. Motu adeò cordis suspenso, *intermittit pulsus*; & quia cursus sanguinis in præsens sistitur, nulla fit in cerebro spirituum secretio, unde *animi deliquium*, sive *syncope*. Potest etiam prohiberi contractio cordis à *pressione*, quæ in *cerebro* à vasis plethoricis oritur, quæque spirituum iter per *nervos* intercipit. Ad hoc vasa cordis *coronaria*, cùm plurimùm distenta sint, nervos etiam vicinos comprimunt: unde influxu spirituum præcluso, otiantur fibræ, & nulla fit è corde sanguinis projectio.

Capitis dolorem quomodo inferat *plethora*, alibi ostendimus; ideo suppressis mensibus necessarium esse dicit *Celsus*^b, ut in *capite* fiant *dolores acerbissimi*. Hi quidem *gravedinosi* erunt, propter solam, quâ canales quaquaversum urget *plethora*, *pressionem*, præcipuè si affuerit *lentor*; *pulsantes* etiam, quia cùm in *arteriis* uberiùs coacervatur sanguis, & impetu vehementiore propellitur, validior erit in latera humorum *ictus*, & major fibrarum *distractio*: unde *dolor cum pulsu* excitabitur. Ad *sinciput* tamen & *occiput* sentiri solent *dolores*, quia *dura mater*, in quâ præcipua est *doloris* sedes, *suturæ parietali* & *lamdoidali* firmè conne-

^a Willis Phar. Rat. 263.

^b 2. 7.

Etitur; ita vasa, quæ per eam disseminantur, & *intus* plurimum distracta sunt, & *extrâ* ossibus compressa: in his igitur canalibus plenitudine admodum turgentibus, & ad solidum impaëtis, acrior erit *doloris sensus*. Multa etiam *duræ matris* vasa, per tenues utriusq; *suturæ* rimas, in *integumenta capitis* funduntur: ad eò ut ab his fortè, propter *tunicas* exuberante sanguine dimotas, & *foramina* quæ pertranseunt angustiora, haud exigua *doloris* pars oriatur. Itaque ii, quibus *suturarum* juncturæ arctè nimis inter se coaluerint, *cephalalgia* ut plurimum graviter laborant. Ab hujusmodi *dolore*, si vehementior fuerit, satis patet, quomodo contumaces inferantur *vigiliae*.

Hic quidem *capitis* in suppressione mensium *dolor*, utcunque familiaris sit, non ab occultâ aliquâ cum *utero sympathiâ*, sed ab ipsius *cerebri structurâ* oritur: quod cum sit viscus omnium *tenerrimum*, injurias minùs, quàm reliquæ partes, sustinere potest. Hoc etiam de *capite* & *pulmone* annotari debet, quòd in iis multò faciliùs atque altiùs, quàm in reliquo corpore, suscipitur ea, quæ à *mensibus suppressis* oritur, labes; hæ quippe partes omnium sunt mollissimæ, & humorum incurfui minimè renituntur. Itaque in omni ferè morbo graviùs plectuntur. Præcipuè verò, si in *ipso fluxu* restricti sunt menses, sequi frequenter solet *capitis dolor*, & *hæmoptoë*.

Cerebro autem semel affecto, in mali confortium ob viciniam facilè trahuntur *oculi*, & simili pondere ob canales nimium refertos *laborant*,

borant, nonnunquam etiam intumescunt: quemadmodum & eos gravari cernimus, simul ac in cerebro languescant spiritus, seu quod idem est, obrepat somnus. Ulterius adhuc serpente malo, oculi ita affecti sunt, ut vertiginem inducant: cujus quidem morbi rationem primus exposuit Bellini. In eâ enim quæcunque oculis obversantur, utcunque quiescentia & immota sint, rotari tamen, & circumagi videntur. Quippe cum motus rerum externarum non aliâ ratione ab oculis percipi soleat, quàm per mutationem loci, in quem veniunt species intra oculum perductæ, sive imagines in retinâ depictæ; quocunque modo specierum distantia mutetur, objectum moveri videbitur. Mutari autem potest distantia vel quia objectum reverà moveatur, vel quia oculus moveatur immoto objecto, vel denique quia nervi optici filamenta loco suo dimota sint. Nervo enim optico sive retinâ dimotâ, radii ab objectis emissi non in easdem oculi partes incidunt, sed pro vario retinæ motu diversas; ita ut, dum imagines in retinâ locum mutant, objecta tanquam locum perpetuò mutantia videantur. Cum itaque arteriæ, ad oculi fundum disseminatæ, sanguine plethorico supra modum turgescant, retina seu nervi optici expansio, pulsantibus, quibus contigua est, arteriis, loco suo dimovebitur, adeoque imago radiantis, in ipsam incidens, locum quoque immutabit: unde ipsum quoque moveri videbitur objectum, seu, quod idem est, ingruet. vertigo.

Distentis ad hunc modum *cerebri vasis*, faciliè concipitur, quomodo tandem succedat *apoplexia*, morbus *vertigini* multùm affinis. Hujus quidem plurimæ causæ apud authores statuuntur; quas tamen accuratissimus de hoc morbo scriptor *Wepferus*^a ad duas classes redigit, eas scilicet, *quæ vel arteriolas obstruere possunt, vel spirituum per nervos effluxum intercipere*. Suppressis igitur mensibus ita paulatim increfcit *plethora*, ut *lentorem*, qualem modò descripsimus, inducat: qui si tenax nimium & compactus fuerit, ad minima cerebri vasa adhærescit sanguis. Canalibus igitur semel oppletis, augetur indies allabente lento sanguine obstructio, donec in eam tandem molem excreverit, ut *arteriolarum* orificia penitus occludat: unde nulla ex arteriis fiet in *nervos* liquidi trajectio, adeoque nullus in corpore relinquetur *sensus*. Ita brevi succedet *mors*. Si tamen haud ita invaluerit obstructio, ut omnes in nervis aditus præcludat, sed aliquid adhuc liquidi nervosi per tubulos derivari sinat, liquidum illud, utcunque imbecillius sit, quàm ut cæteris *musculis* movendis sufficiat, *cor* tamen & *pectus* satis vividè movebit: *cor* enim, uti & ex iis plurimi qui *respirationis muneri* inserviunt *musculi*, *antagonistis* destitutum est, ideoque minore multò spirituum copiâ in contractiones cietur, quia tollitur illa, quæ ab *antagonistis* oritur, *contranitentia*. Ita ut *arteriolis obstructis*, potest *sensus* omnis extinguï, etiam *fibrarum* omnium, nisi in *corde* &

^a *Apopl.* p. 173.

thorace, motus, in quo quidem consistit Apoplexia natura. Potest etiam inferri *apoplexia*, etiamsi absit sanguinis *lentor*, ob *interceptum* nempe *spirituum* per nervos *effluxum*: qui quomodo ab *arteriis* ultra modum *dilatatis* impediri potest, antea jam ostensum est. Eodem modo nervos comprimet spiritusque intercludet, sanguis *extra vasa* in *cerebro* effusus; quod non rarò in *plethoricis* accidere solet. Igitur *sanguineo temperamento* præditos, & *potulis* liberius usos, *apoplexiâ* frequentius corripì observamus.

Cùm *insania* sit *delirium sine febre*, quicquid poterit inferre *delirium*, excitabit etiam *insaniam*. *Delirium* verò à motu spirituum vario & perturbato oritur, unde *species* in *cerebro*, nullo ordine cohærentes, fulcitantur. Spirituum verò perturbatio succedet, cùm motus ipsorum nimium rapidus sit, quod in *Plethorâ* facilè accidit, quia augetur moles sanguinis, & cordis impetus; unde vehementior *globulorum* in canalibus attritio: quæ cùm in *cerebro* etiam fiat, & nervos nimis violentè premat, *tremores* nervorum confusi erunt, adeoque & *species* minùs distinctæ. Ita ab evacuatione quâcunque solenni inhibita * sæpe sequitur *insania*, præsertim si *æstas* fuerit *sicca*, aut præcesserit *potus calidior*, à quibus omnibus inducitur *plethora*; itaque etiam *evacuantibus* curatur. Exemplum ad hanc rem satis appositum præbet *Forestus*, qui *venæsectione* mulierem, à suppressis mensibus *insanientem*, salutem

* Willis *Parth. Cereb.* 445 & 493.

restituit^a. Ita certum est illud *Hippocratis* effatum, *insanis si varices vel hæmorrhoides supervenerint, insanix crisin fieri*^b; idem etiam de *mensibus erumpentibus* dicendum.

Fluor albus, cum ex uterinis glandulis feratur, facile erumpit, si glandularum orificia paulò laxiùs dehiscant: quæ quidem nihil promptiùs possit diducere, quàm humorum *plenitudo*. Igitur quoties menses denuo dimanent, semper subsistit *fluor*; quia minuitur ad glandulas *plethora*: quibus quidem induciis dignoscitur, utrùm morbus hic *idiopathicus* sit, an *symptomaticus*. Ita restrictis mensibus, à sanguinis redundantia oritur *fluor albus*; quod non modò evincit ratio, sed & experientia confirmat: eæ quippe, quæ in suppressione menstruâ huic malo maximè obnoxia reperuntur, habitus sunt admodum *plethorici*. Id etiam advertendum est, mulieres, quibus copia majore manaverit *fluor albus*, cæteris symptomatis, quæ à mensibus inhibitis sequi solent, minùs conflictari. In nonnullis etiam mensium *prodromus*, & quasi *vicarius* reperitur *fluor albus*.

Passionis hystericae pleraque symptomata cum sint *Spasmodica*, uti accuratissimè demonstravit Cl. *Willisius*, quale illud certè est, quod à suppressis *mensibus* oriri diximus, *globi* scilicet in *Gutturè*, quasi *ascensus*, videamus quomodo à *plethorâ* deduci queat convulsio. Hujus quidem *duas* causas agnoscit *Hippocrates*^c, *repletionem* nempe, & *inanitionem*; quas

^a Lib. 10. obs. 24.

^b Aph. 6. 21.

^c Aph. 6. 39.

si attentius scrutemur, morbi istius rationem melius explicabimus, quàm si subtiles recentiorum *hypotheses* consulamus. Quippe ad hunc modum illustrari potest ea, quæ hujus loci est, ex *repletione convulsio*: quæ cum sit contractio inflatioque musculi *involuntaria*, orietur, quoties in musculum derivatur major liquidi copia, quàm quæ imperante *voluntate* impediri possit: ita duobus *antagonistis* ad *æquilibrium* perductis, si alteri plus liquidi adjeceris, is in statu contractionis continuo permanebit, donec in istum, qui in opposito latere est, æqualem liquidi copiam deduxeris. Hujusmodi quidem major solito in *musculum* liquidi influxus fiet, cum sanguinis crasis ita inæqualis sit, ut *antagonistæ* vasa lentis humoribus quodammodo obstruantur: quo fit, ut in fibras alterius hujusce musculi major influat liquidi copia. Liquido igitur in vasis supra modum redundante, potest esse ita valida musculi contractio, quæ ab imperio voluntatis tolli nequeat; quòd si *lentor* adsit, adhuc magis intra fibras motrices detinebitur liquidum, adeoque fortior fiet contractio. Ita si ad hunc modum infletur *tracheæ* & *œsophagi* tunica muskulosa, inferetur sensus quasi *globi* cujusdam ad *fauces* ascendentis: simul etiam ingruet *suffocationis* metus, quòd *laryngis* musculi, eodem modo intumescens aëri introitum minùs liberum concedant. Atque huic malo maximè sunt obnoxia, quibus aut *incertis periodis* redeunt, aut *guttatina* fluunt menses. Pariter à *plethorâ* deduci possunt cætera *passionis hystericæ* symptoma-

ta; quæ non modò à *suppressis mensibus* sequi solent, sed etiam à *fontanellis & ulceribus* occlusis sæpe excitantur: idem quoque in *viris*, quibus periodica aliqua evacuatio restricta est, *cap. 8.* annotavimus.

Urinæ stillicidium, quod in suppressione menstruâ sæpe fieri notat *Hippocrates*^a, a *plethorâ* facilè deducitur. Vasa enim sanguinea, quæ *vesicæ* inferuntur, cùm plurimùm distenta sint, nervos ita comprimunt, ut parcius & difficilior multò fiat in fibras motrices spirituum derivatio: unde muscoli ad *urinam* foras trudendam minor vis. Post aliquam verò moram spiritibus copiâ satis ubere congestis, eo *momento* in *urinam* nitetur *musculus*, ut parvulam quandam illius portiunculam necessariò propellat: hoc verò impetu exhaustis iterum spiritibus motum suum suspendere cogetur, donec novæ influant spirituum suppetiæ: ita, superato sensim per *vices* obice, *urinam guttatim* demittit *vesica*. Quòd si vasa intensiùs intumuerint, ita ut spiritus prorsus intercipient, etiam prorsus *supprimetur urina*; quia non suppetit aliqua idonea vis, quæ eam ex *vesicâ* protrudat. Fiet etiam *urinæ suppressio*, si *vesicæ sphincter*, *spasmo* correptus, exitum præcludat: vel si adèò *lentus* fuerit sanguis, ut nulla inde fieri possit in subtilissimis *renum* canalibus feri secretio.

Suppressis mensibus *sanguis per aliena loca erumpens*, satis ostendit eruptionem à *plethorâ* suscitari. Intra vasa enim quietus subsisteret,

^a Nat. Puer. 7.

nisi copiâ ita redundaret, ut amplius sibi spatium posceret, quàm quod largiri possit vasorum capacitas. Aucto igitur *momento*, ita ut canalium impedimenta superet, effluit sanguis. Hæc per *aliena loca* eruptio in *virginibus* magis, quàm in iis *quæ pepererunt* familiaris est, uti observat *Hippocrates*^a; in *virginibus* enim angusta admodum & constricta sunt *uteri* vasa, ita ut citiùs per ea inhibeat solennis mensium purgatio: adeóq; ex *aliis* canalibus, quâ data est porta, effluat sanguis redundans. In iis verò, quæ *pepererunt*, *os uteri*^b, uti loquitur *Hippocrates*, sanguini exeunti magis patet, h. e. iplo interprete, *vasa*, quia *lochiorum* fluxu multùm *ampliari* & *debiscere* soleant, mensibus, quandocunque erupturi sunt, liberiores præbent exitum: itaque id etiam adjicit, eas minùs frequenter suppressione menstruâ laborare; suppressionem verò, si quando inciderit, faciliùs ferre, tum quia *partûs doloribus* affueverint, tum quia *vasa uteri* multò *ampliora* habeant, quàm *virgines*^c. Quòd si in *virginibus* per alia etiam loca sanguinis exitus præclusus sit, oritur *febris alba*, sive *chlorosis*; quæ nihil aliud est quàm symptomatum, quæ jam descripsimus, *congeries*.

Ex his pleraque symptomata ab aliis rebus, quæ *plethoram ad vasa* inferunt, sæpe oriuntur, uti exercitio nimis violento, potu aut calore immodico, præsertim verò evacuatione aliquâ inhibita^d: quidni eadem etiam, *suppressis mensibus*, *plethoræ* tribuantur?


^a *Morb. Mul.* l. 9. ^b *Ibid.* l. 1. ^c *Ibid.* ^d *Willis Bellin passim.*

Plurima ex his, quæ exposuimus sympto-
mata à suppressis mensibus ingruere notat ac-
curatissimus *historiæ medicæ* scriptor, *Hippo-
crates*; quæ etiam à plenitudine oriri passim
docet^a, uti & ipsum mensium profluvium. Sa-
tis singularis est ea, quam de *Phaethusâ* & *Ny-
masiâ* narrat, historia; quibus, post diutur-
nam mensium suppressionem, corpus tandem
virile factum est, ita ut *hirsutæ* admodum, &
barbatæ evaderent^b. Ea enim, mensibus in-
hibitis, succrevit sanguinis *redundantia*, quæ
in vasis minimè contineri potuit; *poris* igitur
cutaneis humorum impetu sensim patefactis,
in *capillos* migravit, quod erat liquidi super-
fluum. Nonnunquam etiam in *lac* converti-
tur, quod in *virgine* suppressionis menstruæ
signum statuit *Hippocrates*^c.

His symptomatis foeminæ omnes haud æ-
què sunt obnoxia; in his *caput*, in illis *pul-
mo*, in aliis denique *venter* potissimum affici-
tur: quippe ea est *fluidorum* omnium indoles,
ut ad eas partes decumbat humor redundans,
quibus minor suppetit ad renitendum vis: un-
de in iis liberius materiæ affluenti hospitium.
Hæc quidem partium imbecillitas in diversis
foeminis perinde varia est, ac sunt animi mo-
res; nec duas fortè reperias, quibus, in sup-
pressionem menstruâ, sibi invicem accuratè re-
spondent symptomata. Quæ tamen sympto-
matum varietas huic morbo ita parum propria
& peculiaris est, ut ei cum cæteris ferè omni-
bus, *febre* præsertim, sit communis.

^a *Nat. puer. f. 7. Morb. Virg. 2. Morb. Mul. 1. 2.*
lib. 6. ^c *Aph. 5. 39.*

^b *Epid.*
CAP.



C A P. XI.

*De Methodo in suppressis Mensibus
Therapeuticâ.*

Percursis jam suppressorum mensium symptomatis, & ad theoriæ nostræ normam explicatis, non alienum erit rem paulò ulteriùs persequi *medendique* rationem expendere, nequid desit, quod ad *plethoram* illustrandam afferri queat. Ea quippe *medendi* unica est *intentio*, ut instauretur denuo, quæ menses resuscitet, *plethora*.

Antequam verò *methodum therapeuticam* aggrediar, notandum est non semper esse in suppressis mensibus *medicinæ* locum, cum omnis suppressio non sit *morbosa*; ideo neque provocandi sunt, quia fluere non debent, menses. Ita in *gravidis* & *lactantibus* citra sanitatis noxam deficiunt; aliquando etiam in *obesis* & *athleticis*; in his enim per *poros* egeritur, in iis in *pinguedinem* migrat humidi redundantia. Pariter si per *aliena loca* erumpat sanguis, saluti esse solet fluxus vicarius: qui ideo, si nullo gravi symptomate comitatus fuerit, vix temperari, nedum restringi debet. Denique si sanguis *deficiat*, si *evacuatio nimia*, si *morbis chronicus*, aut *inedia longa* præcesserit, neutiquam ciendi sunt menses, donec resectæ fuerint vires. Hujusmodi quippe fœ-
minis

minis ita parùm nocet suppressio, ut morbum potiùs accerferet, si intempestivè excitaretur fluxus.

Cùm itaque omnis suppressio *morbosa* vel à *canalium*, vel à *sanguinis* vitio derivetur, duplex etiam erit curandi intentio; altera ad *canales recludendos*, altera ad *emendandum sanguinem* dirigenda.

I. Suppressionis, quæ à *canalium vitio* oritur, signa in prioribus ostensa sunt: quod quidem vitium facilè in canalibus succrescit, si aut præ *siccitate naturali* nimis indurescant, aut *frigore* subito sint constricti, ita ut fibræ arctiùs jam inter se cohærentes renitentia suâ sanguinis momentum exsuperent. Si igitur, *qualitate* sanguinis illæsâ, obfirmati sint *canales*, curatione adhibitâ, oportet aut *impedimentum vasorum imminui*, aut *vim sanguinis intendi*.

I. Igitur ut vasorum impedimentum tollatur, *relaxandæ* sunt fibræ. Ad hunc finem tepidè adhibentur *externa* remedia, qualia sunt *suffitus, balnea, fomenta*, ex herbis *emollientibus, & penetrantibus* conflata. Particulæ ex plantis, sive *aquâ* sive *igne* elicite, & intra *uterum* susceptæ, calore adjuvante & quasi urgente, ita in vasorum poros se insinuant, ut fibras à se invicem separent & diducant; contactu autem fibrarum inhibito, vasorum latera laxiùs explicantur, & fluido impingenti debiliùs resistunt: ita vi *impedimenti* debilitatâ, iter suum per vasa expugnat sanguis. *Externis* hisce remediis plurimùm usus est *Hippocrates*: quæ certè locum habent, non modò cum

cùm à *vasis* supra modum rigentibus, sed etiam cùm ab ipso *sanguine* inducta sit suppressio: quippe, si relaxatis canalibus *impedimentum* minuatur, idem est, ac si auctum fuerit sanguinis *momentum*. Igitur, suppressis mensibus, *fomenta* purgationi esse præmittenda monet *Hippocrates* ².

2. Ne à *canalibus constrictis* inhibeatür menses, *vis sanguinis* augenda est. Huic verò intentioni cùm eadem satisfaciatur medendi norma, ac quæ in altero suppressionis genere adhibetur, *methodum Therapeuticam* lector ex sequentibus deducat.

Suppressio hæc, quæ à *vasorum vitio* oritur, minùs quidem frequenter accidit, curatu tamen est facillima: ea quippe, dum recens adhuc fuerit suppressio, *externis* remediis plerumq; cedunt: nonnunquam etiam, *æstivo* præsertim tempore, *per se* aperiuntur. Quod si diutiùs perstiterit vasorum durities, *plethora* indies accrescens sanguini tandem vitium inducit; unde altera, eaque multò frequentior, suppressorum mensium causa in prioribus deducta est.

II. Cùm igitur à sanguinis vitio, sive *lentore*, ortum ducat suppressio, eò dirigenda est omnis medendi intentio, ut, sublatâ partium cohærentiâ, is iterum sanguini concilietur impetus, qui uterina vasa perfringat. Quod ut assequerentur medici, his potissimum usi sunt instrumentis, *venæsectione*, *adhibitis ad crura cucurbitis* & *friktionibus*, *catharsi*, *vomitu*, remediis denique, quæ, tanquam essent ad movendos menses *specificæ*, appellantur *Emmenagogæ*.

I. Itaque ad tollendam suppressionem, *venam*, si nihil impediat, *secari* luadet *Hippocrates*^a: quod etiam unâ ferè voce præcipiunt, qui eum insecuti sunt, scriptores; dissentientes interim, quo potissimum *tempore*, & quo *loco* emitti debeat sanguis. Alii quippe venæsectionem *præmittunt*, alii contrà non nisi post *purgantia* & *emmenagoga*, tribus vel quatuor ante periodum diebus, administrant; atque hi quidem in *brachio*, illi autem in *talo* instituentiam esse censent. Utra potior sit sententia, ut meliùs intelligi queat, quærendum est, quomodo *intentioni therapeuticæ* respondeat *venæsectio*, seu quod idem est, *momentum* sanguinis instauret. *Momentum* igitur sanguinis, cum consistat in ratione *copiæ* & *velocitatis* compositâ, *venâ sectâ* fit imbecillius, nisi eâdem proportione increseat *velocitas*, quâ diminuitur *copia*: quòd si major sit *velocitatis auctæ*, quàm *diminutæ copiæ* ratio, *momentum* increbrescit validiùs. Perforatâ venâ, sanguinis *velocitatem* augeri probat, qui primus *phlebotomiam* cum iudicio aliquo illustravit, *Bellini*^b; quia scilicet portione sanguinis evacuatâ, imminuitur multum illius *impedimenti*, quo præcedens sanguis sanguini continuò affluenti resistens moram injicit; remoto itaque obstaculo, ita ut minor sit particularum inter se nisus, *citatiùs* per vasa deferretur sanguis. Ad quem verò gradum *velocitatem* perducatur *venæsectio*, seu utrùm sanguinis momentum intendatur an imminuat, ex variâ partium cohærentiâ col-

^a *Morb. Virg.* 2.

^b *Sang. Miss.* p. 89. 94.

ligendum esse monet scriptor idem accuratissimus^a. Quodocunque enim à Venâ sectâ sequitur intima sanguinis *dimotio*, seu quando ita rarefcit sanguinis compages, ut à contactu mutuo divellantur particulæ, ea increfcit *velocitas*, quæ sanguinis *momentum* possit intendere; quia tum minor fit in ipso sanguine partium resistentia, tum uberiùs in cor traducantur spiritus: ita sanguinis *crasi dimotâ*, & arterias extrorsum magis trudente, excitabitur *pulsus*. At si nulla fuerit sanguinis *dimotio*, imminutâ copiâ languescet sanguinis *momentum*, & quia non ita amplum spatium, ac prius, occupet sanguis, *minor* erit etiam in arteriis *pulsus*. Hæc ferè de variâ *momenti* post *venæsectionem* immutandi ratione differit vir scientissimus; in eo unicè lectori minùs satisfaciens, quòd id argumentum citiùs quàm par erat dimiserit, nihilque planè suggesserit, quod tanquam signum haberi possit, qualis demum sit illa sanguinis *crasis*, quæ à *venâ sectâ* facilè distrahitur, qualis iterum ea quæ dimoveri nequit. Hoc enim minùs perspecto, medenti parum constat, quonam modo sanguinis impetum immutatura sit *venæsectio*; cujus remedii quodocunque anceps sit fortuna, ab eo prorsus in suppressis mensibus abstinendum est, nisi fortè ad *symptomatum* vehementiam levandam institutum sit. Si enim copiâ detractâ *lentior* fuerit sanguinis compages, non modò minor erit spirituum secretio, adeóque cordis impetus imbecillior, sed & increfcet etiam ea,

^a P. 101, 112.

quæ *capillaria* jamdudum obsidet, *obstructio*. Itaque *principio* morbi cum sanguis admodum *lentescat*, non videtur in usum trahenda *venesectio*, nisi id etiam certo aliquo indicio innotescat, tolli posse sanguinis cohærentiam, seu intendi impetum: quòd si hoc innotuerit, ne tum quidem ad menses ciendos peritè satis adhibetur *venesectio*, si aliâ quâvis medendi methodo augeri queat *velocitas*, etiamsi nihil de *quantitate* detrahatur; diminuitur enim, quæ *momentum* faciliùs adhuc excitare posset, *plethora*. Ad hoc id etiam accedit, quòd tam *subitæ* evacuationis nulla videatur necessitas, quia medicinæ moram concedat morbus. Neque hoc sanè prætermitti debet, quòd in iis, quibus suppressi sunt menses, ita ferè *vi-res* imminutæ sint, ut sanguinis missionem, à quâ adeò expedita inducitur humorum mutatio, minùs sustinere queant. Neque etiam fœminis remedium hoc facilè persuadeas, quibus, dum sanæ sunt, *venam* circa mensium tempus aperire religio est; est enim apud eas certum quoddam in medicinâ *axioma*, & ab omni retro antiquitate derivatum, mensibus, si jam erupturi sint, officere *phlebotomiam*. Quanquam verò à *venesectione*, si remediis præmissa fuerit, tam incertum plerumque sit levamen, quia non certò secuturum est impetûs incrementum: nonnunquam tamen sanguis ea de se præbet indicia, quibus si quis diligentius studuerit, *venam* haud inauspicatò poterit fecare. Talis indicii exemplum sit, *pulsus plenus*, & *imbecillis*: qui, morbo non-

dum inveterato, aliquando observatur. Itaq; ad hunc modum constituto *pulsu, venæsectio*, si adhibita sit, sanguinis *momentum* intendet. Quippe cùm ea sit arteriarum *plenitudo*, ut in spatium amplius excurrant *tunicæ*, signum est non ita validam esse humorum *coherentiam*; si enim densa admodum & constricta fuerit compages, in molem angustiore coirent particulae, nec arteriarum latera ita extenderent. Ita cùm fluida satis sit sanguinis compages, turgent ob *plethoram* arteriæ: at quia sanguinis *copia* seu quantitas materiæ movendæ augetur, vis autem cordis *contractilis* sive propellens non augetur, sed fortè diminuitur, ob *plethoram*, necesse est ut, cùm major quantitas materiæ æquali vel minore vi sit movenda, minor sit sanguinis *velocitas*; adeoque si imminuatur quantitas movenda, eadem adhibitâ vi, vel etiam auctâ, (quod post *venæsectionem*, si insignis fuerit *plethoræ* gradus, fieri necesse est) augebitur *velocitas*: unde vehementior cordis impetus, & *pulsus fortior*. Ita in hoc casu sanguis missus *pulsus imbecillitatem* tollit: ad quam quidem multùm facit *tonus* arteriarum remissior; unde, tunicis sanguini affluentibus minùs renitentibus, deficit *ictus magnitudo*. Detumescente verò in vasis post sanguinis missionem *plethorâ*, imminuitur ea, quâ nervi ob arterias nimis turgentes coarctati sunt, *pressio*: ita, spiritibus copiosius ad cor deductis, reviviscit sanguinis impetus, & vasorum tonus; unde digitum *fortius* ferit *pulsus*.

Vidimus jam, quid de hâc methodo sentiendum sit, quæ suppressorum mensium curationem à *phlebotomiâ* auspiciatur: meliùs fortè arridebit ea, quæ non nisi post *purgantia* & *emmenagoga* venam aperit. Ex iis quippe, quæ de augendi in *missione sanguinis* momenti causâ differuimus, fatis pater, præmissis *purgantibus* & *emmenagogis*, venæsectionem feliciùs esse cessuram: in his enim cum ea sit operandi ratio, ut humores viscidos dissociet & attenuent, uti ex sequentibus patebit, sanguis jam antè comminutus laxiùsq; cohærescens, copiâ detractâ faciliùs dimovetur, & fortius momentum concipit. Igitur *triduo* ante consuetum periodi tempus læcatur *vena*, ut tum præcipuè novus sanguini accrescat impetus, cum augmenti summam attigerit *plethora*.

Quo verò in loco instituenda sit *venæsectio*, magna est inter authores controversia; potior tamen videtur *Galenî*^a sententia, qui venam in *talo* incidi jubet. Facto enim orificio, non modò in incisam venam, sed in alias omnes, quæ ab eodem *trunco* proveniunt, uberior sanguinis copia derivatur, uti fusè fatis demonstravit *Bellini*; quia nempe ad eas partes, ubi aperitur vena, minor quàm in reliquo corpore fit resistentia. Igitur si è *talo* mittatur sanguis, copiosior erit in vasa *uterina*, quæ à *venâ cavâ*, pariter ac *saphæna*, ducunt originem, sanguinis derivatio: adeóq; cum fluido largiùs influente major fit vasorum distensio, facilius aperietur sanguini men-

^a Curat. per V. S. cap. II. 19.

struo egressus. Ita *hirudinibus* ad *hæmorrhoidas* adhibitis, mirum & promptum effectum se vidisse testatur *Mayernus*^a. Pariter cum citra *lentorem* sanguis exuberans, *vasorum vitio*, restrictus fuerit, sectâ *Saphenâ* tum intensius rarefcent humores, tum ad uterum copiosius confluent: ita utrâque de causâ increfcet sanguinis ad *uterina* vasa momentum, perque ea *mensēs* demittet. Hinc haud difficulter colligi potest, quid de *Lindani* doctrinâ, apud *Etmullerum*^b ita decantatâ, sentiendum sit “qui tempora distinguit, in quibus vena secanda sit: ubi scilicet *mensēs instant*, nondum tamen fluunt, venam secandam suadet in *brachio*; ubi verò jam fluunt aut casu subito restringuntur, tunc *Saphenam* aperiendam monet. In *pede* verò nunquam secandam esse venam censet, nisi menstruatio actu fluat, aut ipse fluxus suppressus fuerit.” Hujusce doctrinæ rationem ita explicat *Etmullerus*, “Quòd nempe instantibus mensibus, dum turgescit & rarefcit sanguis, tum in eo omnis est naturæ conatus, ut deorsum versùs deducat sanguinem: itaque viæ si sint exiles, non statim aperiri possunt, quia potius distentæ sanguinis fluxum quodammodo sistant. Quando itaque per *Saphenam* apertam inferiùs sanguinis promovetur impetus, plus ad uterum ducis, & ita malum auges; sin apertâ *brachii* venâ, sursum nonnihil revellitur, liberantur viæ ab oppressione, & sanguis faciliùs fluit. Nunquam certè *Saphenæ* sectio mensēs pro-

^a *Morb. Intern. cap. 22.*

^b *Tom. I. 544.*

“ vocabit, nisi aut actu fluentes ex frigore,
 “ aut pavore fuerint restricti.” Quale sit hoc
 argumentandi genus, per se satis patet; sup-
 ponitur quippe sanguinem ita *turgidum* & *ra-
 rum* esse, ut per vasa satis expedite effluere pos-
 set, nisi *deorsum versum ducto sanguine* ipsa
 obesset *plenitudo*: quod certè ita parum me-
 dicæ philosophiæ congruit, ut ne communis
 quidem sensus ferret, vasa, quò magis sangui-
 ne *distenta* sint, eò minùs esse ad cedendum
 facilia. Quòd si menses & *jam fluentes* pro-
 moveat, & in fluxu *suppressos* revocet *Saphæ-
 næ* sectio, quidni etiam & *extra fluxum* restri-
 ctos queat deducere? unde fit ut in altero ca-
 su *momentum* sanguinis *instaurat*, in altero
 cum æquè fortiter sanguinem ad *uterum* ducat,
imminuat? Sectâ *brachii* venâ cum nonnihil
forsum revellitur, *liberantur quidem ab op-
 pressionem via* uterinæ, sed impetu ob *pletho-
 ram* imminutam languente, haud ita facilè dif-
 filiunt vasa, quia minùs sunt distenta. Sed huic
 ipsius de *plenitudine* sententiæ *Riverii*^a ob-
 servationem multùm favere ait *Etmullerus*:
 “ In muliere quâdam, quoties secabatur vena
 “ malleoli, menstrua cohibita sunt; dum verò
 “ ex venâ brachii missus est sanguis, ea largi-
 “ us profluebant.” Cujus rei ratio, quia vul-
 garibus medicorum placitis adversari videbatur,
 ita à medicis *Monspeliensibus* explicata est,
 “ nempe cum mulier illa plethorica esset, &
 “ suppressionem mensium pateretur, à nimia
 “ sanguinis copiâ uteri vasa ita distendente,
 “ ut comprimi sufficienter non valerent, at-

“ tracto sanguine ad ea vasa per venarum in-
“ feriorum apertionem augebatur obstructio.
“ Quando verò misso sanguine à venis superi-
“ oribus, retractio fiebat à vasis uteri, eorum-
“ que plenitudo & distensio minuebatur, tunc
“ illa faciliùs sese contrahebant ad expulsio-
“ nem naturalem & ordinariam, quæ per ute-
“ rum solet fieri.” Jamdudum credo lectori
suboluit, minùs adverti solere discrimen illud
inter *plethoram solitariam*, & eam quæ cum
lentore sanguinis conjungitur: ab *eâ* quippe
mensis supprimi non posse ostensum est, adeó-
que nec *Saphænæ* sectionem, quæ ad *uterina*
vasa *plethoram* auget, mensium eruptioni officere;
in *hâc* verò quia fit ad uterum *obstructio*,
h. e. quia in vasis capillaribus lentus sanguis
subsistit, deductis uberius per *Saphænæ* aper-
tionem ad *uterum* humoribus, & effluente pau-
lò impetuosius sanguine, major fit ad vasorum
oscula viscida adhæsió; quod tamen à sectâ
Saphænâ periculum non *plethoræ*, sed *lento-*
ri potiùs tribuendum est. Igitur in *hâc* solùm
plethorâ, quæ cum *lentore* conjuncta est, lo-
cum habet *Lindani* cautio. Hujusmodi *ple-*
thorâ laborabat mulier illa, cujus jam ex *Ri-*
verio deprompta est historia. Itaque ea me-
dicis rectè visa est *indicatio*, “ ut largâ phle-
“ botomiâ in brachio celebratâ imminueretur
“ *plethora* (seu si magis propriè loqui volu-
mus, ut *detractâ copiâ* sanguinis *velocitas* &
momentum augesceret) “ postea verò apertis
“ venis inferioribus sanguis ad inferiora retra-
“ heretur, præcipuè circa tempus, quo priùs
“ laborans

“ laborans purgari consueverat: ita quippe sanguis tum primâ *venæsectione*, tum *Emmenagogis**, quæ adhibita sunt, comminutus magis & divisus, per vasa capillaria facilè excerni poterat, si sub eruptionis tempus novum impetum à *Saphenâ* sectâ acceperit. Ratio verò, cur præstet venam in *brachio* priùs, & deinde in *malleolis* aperire, hæc esse videtur: diminutâ quippe per venam in *brachio* sectam sanguinis copiâ, augetur *velocitas*; postea verò apertâ *Saphenâ*, sanguis ad inferiora se præcipitat, & auget eam, quæ ad vasa uterina continuò increfcit, *plethoram*; unde auctâ *plethorâ* & *velocitate*, augetur etiam ad ipsorum latera sanguinis *momentum*:

Huic argumento longiùs immoratus sum, ut legenti innotescat, quàm lubrica & dubii plena sint præcepta in medicinâ *generalia*, nisi fluidorum indolem, & varietates eas, in quas sanguinis temperies improvisò sæpe transit, accuratè perspexerit *practicus*.

2. *Frictionum* & *cucurbitarum*, quæ ad *crura* adhibentur, eadem est ratio, ac institutæ in talo *phlebotomiæ*. Hæ quippe humores partim intra vasa *atterendo*, partim per poros cutaneos *educendo*, ut *velociùs* circuletur sanguis; *derivando* autem deorsum versùs, ut in uterina vasa *validiùs* impingat, efficiunt. Itaque mensibus jam erupturis, in usum vocari solent. De *scarificatione* nihil dico, cùm ea, quantum ad hanc rem attinet, tanquam *venæsectionis* species habenda sit. Etiam menses

* *Ibid.*

deducunt *cruribus* inusta *cauteria*: propter *stimulum* enim & *dolorem*, majorem sanguinis affluxum versùs inferiora trahunt.

3. Quo meliùs redintegretur sanguinis impetus, instituenda est *purgatio*; quam ideo in suppressis mensibus necessariam esse scribit *Hippocrates*^a. Cùm verò *purgantium* alia in *primis viis*, alia etiam in ipso *sanguine* vires suas exercent, videndum est, quid commodi ad sanguinem corrigendum alterutrinque redundare queat. Ea quidem, quorum actio intra *primas vias* circumscripta est, solâ *stimuli* virtute alvum subducunt; *stimulo* enim intestina ita vellicant, & in contractiones cient, ut uberiùs, quicquid in *Peyerii glandulis* hæret, exprimat; unde, sæcibus effluente mucosolutis, descendit alvus. Ita *cathartici stimulus*, cùm *lympham* ex glandulis copiosiùs evocet, facit, ut sanguis majore paulò copiâ ad intestina confluat: *Lymphâ* quippe per glandulas liberiùs effusâ, minor est ad eas partes renitentia. Sanguinis adeò renitentiâ imminutâ, increfcit aliquatenus *velocitas*. Ex hâc *purgantium* classe sunt *manna*, *cassia*, *electuarium lenitivum*, cæterâque, quæ alvum *leniter* movent. Quorum tamen ferè omnis virtus in eo consistit, ut *primas vias* excrementorum onere liberent; ea quippe, quam *derivatione* istâ sanguini inducunt, mutatio ita perpufilla est, ut sensum omnem pene effugiat.

Ut igitur humorum vitio succurratur, adhibenda sunt *purgantia*, quæ non modò *stimulo*

^a *Aph. V. 36. Nat. Mul. 20.*


pollent, sed intra circulationis ambitum sese ingerunt, sanguinisque *crasin* immutant. Et hanc quidem fortioribus *cathartidis* inesse vim satis manifestum est. Quippe cum in *salibus* potissimum consistere videatur medicamentorum omnium energia, *purgantia* certè, quæ *sale acri* imprimis & *vivido* abundant, humores vehementiùs agitabunt. Eorum igitur *sales*, in canales deducti, sanguinem lentum ita solvunt & distrahunt, ut minor sit particularum inter se contactus: unde uberior spirituum secretio. Ideo post fortiora *purgantia* *pulsus* semper increbrescit. Ita duplici de causâ ad menses cingendos prodest *purgatio*, tum quia *velocitatis* impetum intendit, tum quia sanguinis *compagem* ita *attenuat*, ut uterina vasa latius distendat. Hujusce familiæ sunt *cathartica* ex *aloe*, *jalappâ*, *scammonio*, *elaterio*, &c. conflata. Quibus si adjecta sit aliqua *Mercurii* præparatio, fortiùs adhuc excitabitur sanguinis impetus: nihil enim aut *lentorem* efficacius tollit, aut *vasa obstructa* citiùs *recludit*, quàm *Mercurius*; uti, cum de remediorum viribus dicturi sumus, pleniùs explicabitur. Nequa verò sit *purgantium* suspicio, id obiter notandum est, mulieres, quibus suppressa sunt menstrua, utcumque imbecilles fuerint, *catharsin* satis validam sustinere posse: præsertim si, operatione peractâ, exhibeatur *paregoricum*.

4. Alii *vomitum* in suppressis mensibus suadent: qui quidem, si *ventriculi* gratiâ instituantur, plurimum prodest; *chylosin* enim restituit, & *lentori*, si non vim ejus imminuit, suppetias

tias certè præcîdit: fin ad morbi *causam* dirigatur, huic intentioni rariùs respondet. Ut cunque enim inter operandum sanguinis *momentum* augeat, & viscera omnia vehementiùs succutiat *emeticum*, crassâ materiâ ita opletî sunt *capillares uterini*, ut quocunque impetu instructus sit sanguis, per eos nequeat sibi viam aperire, donec attenuatis humoribus tollatur *arteriolarum obstructio*. Ita si ad expellendos menses uti volumus *emeticis*, tum præcipuè adhibenda sunt, cùm sanguis, vitio licèt omni immunis, præ *vasorum duritie* nequeat excerni: in hoc enim casu, sanguinis impetus, *emeticis* excitatus, vasorum renitentiam faciliùs pervincet.

5. Ut ad medendi scopum feliciùs perveniri queat, perpetuo in usû sunt *emmenagoga*; quæ quibus viribus sanguinis impetum instaurant, mox paulò distinctiùs erit differendi locus.

Investigatâ ad hunc modum tum *symptomatum*, tum *remediorum* naturâ, & ad rationem aliqualem exactâ, non fortè alienum erit suppressorum mensium *historias* quasdam adjicere: quo pleniùs innotescat hanc de mensibus *theoriam* non domi esse fictam & concinnatam, sed *experientiæ*, unde deducta est, consentire. In quibus etsi multa fortè desiderari possint, id lectori spondeo in meque recipio, nusquam iis deesse, quæ *historiam* imprimis commendare debet, *fidem*.



Historia I.

Oct. 26. 1700.

PUella quædam, octodecim annos nata, & mensium adhuc expers, de acri circa lumbos, genua, & malleolos dolore querebatur. Laborabat etiam dyspnœâ, nausêâ, & torminibus ventriculi. Deambulatione quamvis lenissimâ palpitabat cor. Color faciei floridus. Pulsus debilis, & tardus. Hæc ferè à sex mensibus graviter invaluerant symptomata; quæ quoniam à sanguine *lentescente*, uti *pulsus* admonuit, proficisci existimabam, hanc morbi *indicationem* esse arbitratus sum, ut *attenuaretur sanguinis compages*: ita enim velocitate auctâ, momento latis valido instrui posse videbatur sanguis, quo uterina vasa perumperet. Hoc igitur ut efficerem, methodo sequenti usus sum. Et primo quidem *catharticum* adhibui, quod humorum cohærentiam tolleret, & faciliorem per *vasa capillaria* transitum sanguini conciliaret.

℞. Calomelan. ꝰ i.

Resin. Jalap. gr. 5.

Tartar. Vitr. gr. 4. M. F. Pulv. Cap.

manè in *Conserv. Ros.* unde *dejectiones* tantum binæ: à quibus tamen aliquod doloris levamen sensit.

Neque ideo de hâc *pulveris*, quem præscripsimus, efficaciam dubitet quispiam, quòd parcius

cius mota fuerit *alvus*: quippe ex *dejectionum* numero malè judicantur *cathartorum* vires, uti in *mercurialibus* præsertim sæpius compe-ri: quæ utcunque *alvum* aliquando minùs subducant, non tamen medici consilium fallunt. Ea enim præcipua est, in hujusmodi saltem casu, *purgandi intentio*, ut sanguinis particulæ ar-ctè minùs inter se cohæreant: id verò à pur-gantibus effici posse superiora satis evincunt, licèt haud ita copiosa fiat per *alvum* evacua-tio. Cùm autem *alvus* à *cathartis* subduci-tur, non modò quia *velocitate* auctâ major fit in glandulis humorum secretio, sed etiam quia *stimulo* irritantur intestinorum tunicæ; si sti-mulus iste quovis modo imminuatur, *alvus* minùs solvetur. Stimulus verò potest deficere, cùm *catharticum* omne intra *vasa lactea* tra-ducitur: ita, cùm in ipso sanguine vires suas exercent *purgantia*, propter auctam veloci-tatem, copiosior solito erit in glandulis qui-buscunque secretio; in *intestinalibus* tamen, quàm in cæteris, ob defectum stimuli, nequa-quam uberior. Quòd si pauculæ *cathartici* par-ticulæ in intestinis restitent, eæ stimulo suo vasa irritabunt, ut largior fiat ex glandulis intesti-nalibus, quàm ex reliquis, liquidi profusio: quod tamen eâdem ratione per intestina minùs profluet, quâ imminuitur *stimulus*. Si verò parciùs purgatur *alvus*, reliquas secretiones au-get *catharticum*: quod cùm faciat, sanguinem æquè attenuat & expurgat, ac si secessum crebri-ùs moveret. Cujus rei argumentum esse potest, quòd ab his *purgantibus*, si *alvum* minùs sub-duxerint,

duxerint, rarissimè sequitur noxa. Atque hinc fortè haud ineptè deduci potest varia illa in diversis corporibus *cathartorum* efficacia, quæ hos uberiùs, illos rursùm parciùs, per *inferiora* purgant: in iis scilicet, quibus patentiora sunt *lacteorum* oscula, sive id a naturâ sive vitio aliquo provenerit, ita ut medicamentum omne in sanguinem facilè transmittant, alvus minùs movetur: in iis verò, quibus arctiùs coalescunt aut obstruuntur *lactea*, ita ut pars *cathartici* maxima in *intestinis* subsistat, stimulus ad tunicas validior est, & proinde crebrior alvi dejectio.

Ut verò efficacius tolleretur sanguinis *lentor*, atque invalesceret *momentum*, hæc, quæ viribus idoneis pollere docet experientia, præscripta sunt remedia.

℞. *Conserv. Absynth. Rom.* ℥ 3.

Æthiop. Min. ℥ 1.

Chalyb. cum Sulph. pp. ℥ 5.

Rad. Gentian. } pulver. $\overline{a a}$ ℥ 2.

Curcum. }

Syr. Garyoph. q. s. M. F. Elect. Cap. q. n. m.

ter in die hor. Med. Superb. Coch. 5. *infusi* seq.

℞. *Limatur. Chalyb.* ℥ 15. *Infund. in cerevisiæ tenuis lib. 3. per triduum. Deinde add.*

Rad. Gentian. incis. ℥ 5.

Rub. Tinctor.

Curcum. $\overline{a a}$ ℥ 2.

Summitat. Absynth. Vulg.

Centaur. min. $\overline{a a}$ M. 1.

Bacc. Junip. ℥ 5.

Sem. Gardamom. min.

Cubeb.

Cubeb. $\bar{a}a$ 3 I. M. Fiat *infus.* per diem. In colaturæ quolibet haustu cap. gt. 20. *mixtur.* seq.


℞. Spir. Sal. Armon.

Elix. pp. $\bar{a}a$ 3 2.

Venæsectionem consultò omisi, tum quia evacuationem ita *celerem* puella, cùm esset imbecilla, ægrè pati poterat, tum quia *venâ sectâ* sanguinis *impetum* diminutum potiùs, quàm auctum iri verebar.

Oct. 28. Temp. Pom. De ventriculo minùs quæsta est. Pulsus fortior. Vires etiam multùm instauratæ.

Oct. 30. Eruperunt menses, coloris optimi. Dolor ad lumbos, & malleolos statim evanuit. Ad octo dies perstitit fluxus; eo durante, præscriptis interdictum est: quibus tamen post alteram hebdomadem repetitis, proximâ periodo rite denuo fluxerunt menses, & puella sanitati restituta est.



Historia II.

Octob. 31. 1700.

MUlieri, annos ferè triginta natæ, menses à *biennio* defecerant. Quibus restrictis, ingruebat tussis arida, dyspnœa vehemens, cordis palpitatio, capitis dolor, vertigo, appetitûs remissio, ventriculi cruditas, & inflatio, aliquando vomitus, virium imbecillitas, sudores nocturni, frigoris calorisque vicissitudo, tremor; nonnunquam per Nares eru-

pit sanguis. Pulsus admodum imbecillis.

Indicationes curatoria videbantur tres.

1. *Ut restitueretur ventriculi concoctio.*

2. *Ut sanguinis impetus fieret intensior.*

3. *Ut vasa uterina relaxarentur.* In iis enim, æquè ac in sanguine, vitium esse indicabat *narium hæmorrhagia.*

Ut doloribus & virium imbecillitati occurrerem, usus sum sequenti *cardiaco.*

R. Spir. Sal. Armon.

Tinct. Croc.

Laud. Liq. a 3 i. M. Cap. gt. 30

sæpius in quovis vehiculo.

His dolor plurimum sedatus est, & resectæ vires.

Nov. 2. Cepit *catharticum* in *priori historia* præscriptum; unde *sexies* descendit alvus, & remisit *dyspnœa.*

Nov. 3. Usa est *electuario* & infusione in *hist. 1.* descriptis: non neglectâ interim *mixturâ cardiacâ*, quæ non modò *dolori* profuit, sed sanguinis etiam *impetum* instauravit. Ignorant certè, quid efficere possint *opiata*, qui ea *horâ decubitûs* pro *somno* tantum conciliando adhibent, quasi nihil emolumenti præstaret, nisi *stuporem* induceret, *papaver.* Quod si dosibus minoribus, & pro morbi ratione sæpius iteratis exhiberetur *opium*, remedio ita leni atque efficaci adjunctus sanguis, iis sensim instrueretur viribus, quæ ab aliis fortè *attenuantibus* frustra poterant sperari: quam quidem methodum non modò periculo omni vacare, sed rarò infeliciter adhiberi expertus sum. *Opio*

enim assumpto sanguinem comminui admodum,
& rarefcere ostendent fequentia.

Ut verò vafa faciliùs dehifcerent, *fomento*
emollita est *regio uterina*.

℞ *Rad. Althæ. Lil. Alb. a a ʒ ii.*

Sem. Lin. Fænugræc. a a ʒ iii.

Fl. Chamæmel. Aneth. a a P. i. Majoran. M. i.

Bulliant ex Vin. C. Aq. part. æq.

Liquor fit pro fomentatione bis in die tepidè
applicandâ.

Nov. 8. Pulsus paulò validior; in sympto-
matis nulla ferè mutatio.

Nov. 15. Nihil novi, nisi quòd redire videre-
tur appetitus, & evanesceret nocturnus sudor.

Nov. 22. Profluxit ex utero humor subal-
bidus, qui post quinque dies tandem substitit.
Humorem hunc, utcunque albescentem, men-
sium nomine insigniri debere arbitror, tum
quia ad solenne ferè tempus duravit, nullif-
que adhibitis remediis sponte desiit fluxus,
tum quia factâ hâc evacuatione omnia in me-
lius mutata sunt symptomata: quæ, si *fluor*
Albus fuisset, potiùs exacerbescerent. De
mensibus etiam pallidis frequens est apud Au-
thores mentio.

Dec. 1. Symptomata, etsi multò mitiora,
nondum tamen sublata sunt. Præscriptum est
Catharticum, quod erat hujusmodi.

℞ *Pil. Ruff. ʒss.*

Resin. Jalap. gr. 3.


Ol. Sassafr. gt. i.

Bals. Peruv. q. s. M. F. Pil. Mediocr.

Rediit etiam ad *Electuarii, infusi, & mix-*

turæ usum; quibus rite assumptis, *pulsus* fortius increbuit, & refocillatæ sunt *vires*.

Dec. 19. Deducti sunt menses colore fatis rubicundo, qui ad *triduum* fluxerunt. His erumpentibus ita sublevata sunt symptomata, ut solùm de exiguâ quâdam spirandi molestiâ, & capitis dolore quereretur. Infusione verò repetitâ, post exactum mensem, rediit cum *Catameniiis* sanitas.



Historia III.

Virgo quædam Lotrix, temperamenti sanguinei, Annos 24 nata, dum Menses fluerent, inter lavandum, frigus suscepit: crura etiam frigidâ perluebat. Ita ante tempus consuetum subito restricti menses, anni integri decursu penitus substiterunt, citra tamen insigne aliquod sanitatis dispendium: quod inde proficisci puto, quoniam laboribus & exercitiis multùm assueverit. Anno autem elapso, hæc tandem ingruiebant symptomata, corporis gravitas & imbecillitas, ventriculi concoctio læsa, membrorum pene omnium dolor, tussis, dyspnœa, pallor: intumescabant etiam crura; in tibiâ adèò durus excrevit tumor, ut nullis *cataplasmatibus* & *emplastris* molliari, aut suppurari potuerit. Pulsus languidus, & segnis.

Indicationes curatoria eadem prorsus, ac in *historiâ secundâ*.

Ad

Ad tumorem autem leniendum, instituta est
Oct. 20. 1702. in brachio *venæsectio*: quæ ta-
 men voto parum respondit. Igitur ut tumo-
 ri, & mensium suppressioni simul prospicerem,
Oct. 22. adhibui *pilulas purgantes*.

℞ *Pil. Coch. maj.* ʒiʒ.

Calomel. ℞i.

Resin. Jalap. gr. 6.

Syr. è Chalyb. q. s. M. F. Pil.

Eo die alvus ne semel quidem mota est; mane
 autem postero, *bis* largâ satis copiâ dejecit.

Oct. 23. Adhuc parum levaminis persensit.
 Itaque ut sanguinis *momentum* excitaretur, data
 est sequens *infusio*.

℞ *Limatur. Chalyb.* ʒiʒ.

Rad. Zedoar. ʒi.

Fol. Absinth.

Centaur. Min. \overline{a} *M.* i. Infund. te-
 pidè in cerevisiæ tenuis lib. 3. per biduum. Co-
 laturæ add.


Tinct. Croc. ʒ2. Cap. haustum ter in die.

Usa est etiam *fomento* in *hist.* 2 descripto.

Oct. 28. Levata est paululùm virium imbe-
 cillitas: cætera nihil remisere symptomata.
 Repetito autem *Cathartico*, mitescebat *tumor*.

Nov. 6. Cum viribus increvit pulsus. Ita-
 que sanguine ad hunc modum vividius cir-
 cumactò, ut in vasa uterina impetu fortiore
 impingeret, adeoque menses provocaret, secta
 est *Saphæna*.

Nov. 11. Menses, quamvis haud ita ubere
 copiâ, fluxere. Rediit virgini color floridus,
 evanuitque cum cæteris symptomatis *tumor*.



Historia IV.

Dec. 2.

Mulier boni habitûs, cui, per annos quatuor aut ultra, *bimestri periodo* redierant menses, de sanitate amissâ graviter quebatur. Eam quippe vexabat fitis continua, frequens oscitatio, dyspnœa, ad interiora frigoris sensus, ventriculi aliquando & intestinorum tormina, capitis dolor acerrimus, lassitudo & languor, ad dorsum, genua, & brachia dolor satis vehemens, tumor verò nullus; cordis palpitatio, quæ cum isto circa articulos dolore à *sex mensibus* increverat. Pulsus tardus, debilis, & inæqualis. Venâ sectâ exiit sanguis pallidus admodum, & aquosus.

Intentio igitur medendi præcipua ea esse visa est, ut canalibus reclusis & expurgatis, sua sanguini restitueretur crasis, & usitatis periodis excitaretur fluxus menstruus. Deinde etiam *symptomatis levandis* aliqua impendi debuit cura.

Ut canales à lentis humoribus liberarentur, adhibita est purgatio.

℞ *Pil. Stomach. cum Gum.*

Succin. a a ∅ 1.

Calomelan. gr. 16.

Resin. Jalap. gr. 5.

Castor. gr. 2.

Syr. è. Spin. Cerv. q. s. M. F. Pil. 5.

intra quadriduum ad quatuor vices repetend.

Ad

Ad sanguinem porrò excitandum, ita ut velociùs circulari, rectiùsque commisceri posset, præscripti sequentia.

℞ *Conserv. Fumar.* ℥ 2.

Æthiop. Miner. ℥ 1.

Syr. è Bacc. Samb. q. s. M. F. Elect.

de quo cap. q. n. c. bis in die superbib. Coch. 5. *Tinct.* seq.

℞ *Tinctur. Chalyb. Lower. lib. 2.* cui add.

Tinctur. Castor. ℥ 1.

Symptomatis relevandis sic prospexi. Ad dolores scilicet sedandos dedi *Paregoricum*

℞ *Aq. Paralyf.*

Cinnamom. Hordeat. a a ℥ 3.

Diacodii. ℥ 4.

Laud. Liq. gt. 100. Cap. Coch. 6.

hor. decub. etiam & interdiu, quoties atrociùs fævierit dolor.

Pro viribus reficiendis cap. sæpiùs *Sal. Volat. Oleos. gt. 30 in Vin. Canarin. & Aq. part. equal.*

Ingruente *Oscitatione* cap. 40. vel. 50. *Tinct. Castor.*

Ut pacaretur denique *capitis dolor, vesicatorium largum nuchæ* applicatum est.

Cùm *ventriculi* tormina graviùs invalescerent, hujusmodi potum usurpavit.

℞ *Rad. Gentian. incis.* ℥ 1.

Fl. Chamæmel.

Summit. Marrhub.


Centaur. Min.

Absinth. Vulg. a a M. 1.

Sabin. M. s. Coq. in Aq. Font.

lib. 4. ad consumpt. lib. 1. colatura fit pro potu communi.

Morbi historiam, quia rure vixit mulier, per singulos dies haud ita accuratè persecutus sum. His tamen usa remediis, plurimùm sublevata est, & vires ita recuperavit, ut post dierum 45 intervallum redirent menses; quibus rite fluentibus, remiserunt symptomata. Iteratis denuo *electuario* & *infusione*, fluxus intra dies triginta quinque redintegratus est, qui quidem ægotæ multùm profuit. Eâdem medendi methodo adhibitâ, idem fuit proximæ periodi intervallum. Deinde ut integrâ valetudine frueretur, ad *aquas Astropenses* amandata est: quorum usu tandem ad consuetas periodos reducti menses, mulierem ægritudine omni liberabant.



Historia V.

Feb. 28. 1702.

Mulier quadragenaria, & paulò quàm par erat habitior, novem abhinc mensibus, tussi fortè laborans, venam secuit: *Setâ venâ* menses, quibus ea semper parciùs purgata est, ad *duas*, quæ infecutæ sunt, *periodos* penitus substiterunt. Postea verò statis temporibus regressi, imminutâ admodum copiâ, effluxerunt. Ita cùm minor solito esset evacuatio menstrua, adversâ valetudine usa est, præsertim à *tribus* proximè elapsis mensibus. Symptomata, cùm curæ meæ se commisit, ita

se

se habebant. Sæviit in universo corpore dolor acerrimus, tumore quodam comitatus: remittente dolore, ita tenera erat cutis, ut tactum refugeret. Maximè verò quæsta est de abdomine: in intestinis quippe sensit tormina quasi colica, in ventriculo gravitatem, inflationem, & nauseam; ita ut pituitosa sæpius evo-meret. Ad coxendicem fixus quidam decubuit dolor. Virium ea fuit imbecillitas, ut à motu quamvis lenissimo abhorreret. In hypochondriis sæpius exorta sunt tubercula, per vices rursus evanescentia. Urinæ, uti & coloris, nullum vitium. Pulsus piger, & debilis. Hebdomade proximè prægressâ, accessit menstrua periodus; guttis verò pauculis demissis, substitit fluxus.

Hujusce morbi *duplex* potissimùm fuit *indicatio*.

I. Nempe, ut sedarentur, quibus graviter conflictata est mulier, symptomata.

II. Ut, pacatâ quodammodo symptomatum ferociâ, ad legitimam normam redigeretur fluxus menstruus.

Primæ igitur intentioni ut satisfacerem, quia præcipuè affecta est *regio epigastrica*, *emplastrum* suasi, quod humores resolveret, & doloris vehementiam sopiret.

℞. *Emplastr. Hyster.*

de Galban. ā a q. s.

Opii, Camphoræ ā a ʒ 2. M.F. Emplastr.

largum abdomini applicand.

Adjeci *opium* & *camphoram*, ut in vasa abdominis penitus se ingereret *emplastri* virtus; horum

horum quippe particulæ, cum tenues admodum & subtiles sint, penetrandi vi maximâ pollent. Hæc *emplastris* suis admiscuit, vir in *pharmacis concinnandis* non felix minùs quam elegans *Batéus*, cum humores vellet discutere^a: cujus quidem methodi, uti eo primùm authore usum aggressus sum, ita miram sæpius comperi efficaciam.

Hoc igitur *emplastro* sub noctem adhibito, post aliquot horas vehementer incalescebat mulier, & humorum quandam quasi inter se luctam sibi visa est sentire: postero verò mane, prorsus evanuit in abdomine dolor, & dissipata sunt tubercula. Cujus rei ratio explicatu parum difficilis est. *Ingredientium* quippe, *camphoræ* præsertim & *opii*, particulæ, tenuitate suâ intra vasorum poros se insinuant; ibique lentis humoribus, quorum vitio oriuntur dolores & tubercula, commixtæ, eos ita incidunt & exagitant, ut sanguinis globuli non ultrâ ad oscula arteriolarum hæreant, sed jam in minima divisi, vel in *venas* trajici queant, vel *perspiratione* foras extrudi. Ita penetrans reperitur *opii* & *camphoræ* vis, ut nullum ferè sit (si *cantharidas* excipias) remedium, quod, *externè* adhibitum, *cutim* promptiùs pertransit, & viam sibi in sanguinem aperit: adeò parum se ostendit ignava illa & *frigida* qualitas, quam iis plerique solent affingere.

Mart. I. Ut ventriculi & intestinorum aliqua haberetur cura, data est in *Aq. Bathon. lib. 2. Sal. Epsom. ℥ i.* quæ saburram in *primis vi-*

^a Vide *Emplastr. Camphor. & Podagr.*

is hærescentem per alvum abduxit. Noctu somnus longior solito, & pacatior.

Mart. 2. Visa est sibi aliquantò vividior; & de membrorum doloribus minùs querebatur.

Igitur cùm *secundæ*, quam retulimus, *intentioni* locus esse videretur, præscripta sunt ea, quæ sanguinis impetum ita fuscitare poterant, ut usitata per *uterum* efflueret sanguinis mensura.

℞. *Æthiop. Min.* ℥ 1. Cap. ð 2 in *Syr. Viol.* bis in die superb. Coch 6. *Decoët.* seq.

℞. *Cortic. Peruv.*

Rad. Gentian. ā ā ℥ ʒ ʒ.

Sem. Cardamom.

Cubeb. ā ā ℥ 2.

Bacc. Juniper. ℥ 1. Coq. in Aq. Font. lib. 3. ad consumpt. lib. 1. add. sub finem decoctionis *Vin. Alb.* lib. 1. Colaturæ add.

Tinct. Castor.

Mart. Mynsictb. ā ā ℥ 1.

Mart. 4. Meliùs se habuit, quanquam aliquando ad breve tempus recrudesceret *dolor*. Horâ decubitûs, quoniam somnus ultimis noctibus parcior fuerat, assumptum est *hypnoticum*.

℞. *Tinct. Croc.*

Laud. Liq. Sydenh. ā ā ℥ 1. Cepit gt. 40. ex *Ther. Venet.* quas & singulis noctibus repetiit. Unde semper placidus successit somnus, & mane virium refectio.

Mart. 6. Pulsus multò validior. Adhuc subinde rediit ventriculi nausea, interdum etiam & vomitus. Igitur ad humores ex *pri-*
mis

mis viis educendos, iterum adhibitæ sunt *aquæ purgantes*.

Mart. 7. Indies auctæ sunt vires, & pulsus fortior increbuit. Hausto *decocto* multum incaluit. Doloris nulla vestigia. Ventriculi inflatio nulla: quanquam sæpe adhuc per vices rediret *nausea*. Ab ambulatione vix ulla ferè lassitudo.

Mart. 8. Repetitæ sunt *aquæ purgantes*, non modò ut *sordibus* liberentur *primæ viæ* sed ut *tenuior* fiat sanguinis compages. His tamen cùm *nausea* & vomitus parum cesserint, *Mart. 9.* ad *emetica* confugi; quibus antea, dum vires admodum languescerent, abstinendum duxi. Adhibitis igitur *Sal. Vitriol. ʒ2.* multum crassæ & viscidæ materiæ excrevit ventriculus; quâ ita foras ejectâ, nullam fere molestiam sensit.

Mart. 11. Igitur ut *utrique indicationi* ulterius prospectum sit, præscripsi, uti in *historiâ 3, catharticum*, quod & *primas vias*, & ipsum *sanguinem* purgaret, Unde *sexies* descendit alvus, & ventriculus ita deterfus est, ut, quicquid alimenti susceperit, retinere possit.

Mart. 13. Vires ferè in totum instauratæ sunt. Pulsus quotidie validior. Ad *coxas* aliquando accessit subitus quidam doloris insultus, qui tamen brevi evanuit.

Mart. 15. Repetitum est *catharticum*, deinde etiam *pulvis*, & *decoctum*.

Ap. 2. Nulla, nisi de gravitate quâdam circa ventriculum, querimonia.

Ap. 10. Menses majore copiâ, quàm ab annis

nis quatuor aut quinque confueverant, fluxerunt: quibus ad *quatriduum* demissis, subscidit omnis illa ventriculi gravitas.



Historia VI.

Oct. 20. 1702.

MUlieri annos 25. natæ & viro nuptæ, menses per annum ferè minore copiâ fluxerant; à tribus verò, quæ proximè antegressæ sunt, periodis penitus substiterant: unde venarum omnium tumor, dorsi & capitis dolor acerrimus, ventriculi nausea, & appetitûs languor, globi quasi in gutture ascensus, virium maxima debilitas, dyspnœa vehemens; de quo quidem symptomate acerbis, quàm de cæteris, quæsta est. Color haud multùm vitiatus; erat enim mulier temperamenti sanguinei. Pulsus plenus, & debilis. Aniculæ, quæ juxta habitabant, omnes uno ore clamitant eam *utero* gestare: quod ut minùs crederem, his potissimùm argumentis inductus sum.

1. Quia *cibi fastidium* perpetuò ad tertium mensem, & ultrà indies increbuit; quod tamen gravidas sub *initium* magis infestare solet, *tertio* verò mense paulatim evanescere.

2. Quia *capitis dolor* continuus, & gravis *spirandi* molestia, in deterius ibant; quæ quidem symptomata, cùm ultra modum exacerbescant, menstruæ suppressioni potiùs, quàm *graviditati* congruere videntur.

3. Quia in ventre nec *motum* ullum, nec *tumorem* persensit; quorum tamen alteruter faltem, si in utero sit infans, elapso *tertio* mense percipi solet.

Igitur in curandis symptomatis, quæ à *morbosa* mensium suppressione oriri arbitratus sum, id unicè agendum videbatur, ut suus sanguinè restitueretur *impetus*.

Quoniam verò *venæsectionem* indicabat *pulsus plenitudo*, sanguis ad ζ 12 missus est.

Feb. 21. ℞. *Mercur. dulc.* Θ 1.

Resin. Scammon. gr. 6. *M.*

Unde *decies* subducta est alvus, & nausèa minùs laborabat ventriculus.

Diebus à purgatione liberis, usa est pilulis sequentibus.

℞. *Chalyb. cum Sulph. pp.* ζ 2.

Rad. Gentian.

Aristoloch. Rotund. \bar{a} ζ 15.

Castor.

Pulv. Ari. comp. \bar{a} ζ 1.

Extract. Absinth. q. s. M. F. Pil. medicocr. cap. 4. bis in die, superb. haustum cerevisiæ tenuis, in cujus lib. 3. incoq.

Limatur. Chalyb. ζ 1.

Rad. Rub. Tinctur.

Curcum. \bar{a} ζ 3.

Bacc. Juniper. ζ 5.

Sabin. M. 1. In quolibet haustu cap. Tinctur. Croc. gt. 15.

Febr. 28. Nulla ferè in symptomatis mutatio. Pulsus tamen multò fortior. Repetitum est


est itaque *catharticum*, unde ad duos aut tres dies plurimum levata est.

Mart. 6. Cùm vix quicquam levaminis sentiret, *tertiò* adhibita est *purgatio*.

Mart. 12. Mitescebat aliquantulum *capitis dolor*, & *dyspnœa*.

Post *infusionem* repetitam, *Apr. 8.* menses, quanquam exiguâ nimis copiâ, fluxerunt: quibus erumpentibus, evanuit ea, quam hæctenus secum tacitè foverat, graviditatis suspicio.

Restitutis mensibus, rediit simul valetudo; nisi quòd ad motum & laborem, si paulò diuturnior fuerit, rediret subinde *dyspnœa*.



C A P. XII.

De symptomatis, quæ à mensium fluxu immodico oriuntur.

Alterum uterini fluxûs vitium est, *nimia sanguinis profusio*; quæ duobus modis accidere solet, cùm vel statis periodis nimis copiosè erumpat sanguis, vel periodi frequenter nimis recurrant. Hic quidem morbus inter mulieres haud æquè familiaris est, ac *suppressio*; paucioribus etiam stipatur *symptomatis*: quæ tamen uti numero deficiunt, ita vehementiâ suâ invalescunt, ut gravius multò sit à mensibus ultra modum *fluentibus*, quàm *retentis* periculum. Sanguinis enim *defectus* difficiliùs refarcitur, quàm detrahitur *copia*; uti &
obesis

obesis corporis habitudo faciliùs deteri solet, quàm apponi *macilentis*. *Solidæ* quippe partes, si paulò laxiùs distendantur, diminutâ fluidi copiâ, tonum satis promptè recolligunt: sin præ fluidi inopiâ arctiùs semel coalescant, quomodocunque humida & mollientia adhibueris, meatus obthurati non nisi ægrè admodum recluduntur.

Mensibus adeò immodicè profluentibus insequi solent, *virium imbecillitas, cordis anxietas, syncope, extremorum frigus, pallor, convulsio, suffocatio*; quæ quidem, *recente* adhuc morbo, sese exerunt symptomata: *inveterascente* profluvio etiam hæc tandem accrescunt, *tumores, cachexia, hydrops, fluor albus, febris hectica, atrophia*. Atque hic quidem morbus uti suppressioni menstruæ est contrarius, ita ea, quæ foeminis infert, symptomata contrariam prorsus agnoscunt causam, sanguinis scilicet *inopiam*.

Sanguine enim liberè nimis profuso, multum istius liquidi unâ effluit, quod in spirituum animalium suppetias cedere debuit: unde promptuario exhausto, parciùs in nervos traducuntur spiritus; quibus adeò imminutis, languescunt, quæ à spirituum copiâ derivantur, *vires*. Atque hæc quidem decrescunt in *ratione* sanguinis diminuti *triplicatâ*: cum enim ad motum muscularem requiratur *liquidi nervosi, fibrarum muscularium*, & ipsius demum *sanguinis* unita actio, satis patet musculorum vires sive animalis *robur* esse in proportione horum trium *compositâ*: quæ cum à massâ sanguineâ

guineâ ita pendeant, ut ei semper proportionalis sit ipsorum quantitas, erunt *vires* in ratione sanguinis *triplicatâ*; utî demonstravit *D. Cheynéus*^a. Si igitur mensium fluxu immodico profundatur pars sanguinis *dimidia*, virum $\frac{7}{8}$ deperdet mulier. Hinc & ratio elucet diversi istius effectûs, qui dissimiles inter se evacuationes sequi solet: ab *ingentibus* scilicet & subitis, propter sanguinem exhaustum, labefactantur admodum *vires*; eadem satis constant, si *lentè* & *gradatim* peragatur evacuatio, utî in *Diaphoresi*, *Diuresi* &c. fit.

Deficiente ad hunc modum satis ubere spirituum copiâ, *cor*, siqua alia corporis pars, propter assidua in propellendo sanguine virum dispendia, brevi deficiet: spiritibus enim destitutum, minorem multò sanguinis molem foras pellit; qui ideo in *ventriculis* ejus diutius subsistens, laboris quendam & *anxietatis* sensum ad *præcordia* inducit. Quòd si exhaustis spiritibus ita tandem deficiat *cordis* robur, ut sanguinis ponderi prorsus impar sit, suspendetur contractio, & cessante sanguinis motu succedet *animi deliquium*; donec *cor* iis spirituum supplementis instructum fuerit, ut sanguinis momento præpollens, *circuitum* denuo integrare valeat.

Vacillante porrò *cordis* motu, debilius erit sanguinis *momentum*: tum quia mensibus profluentibus detrahitur *copia*, tum quia, corde vim suam imbecilliùs exerente, minuitur etiam *velocitas*. Igitur cùm languescat admodum

^a De *Hecticâ*.

sanguinis jam in arterias protrusi *momentum*, haud ita facilè pervincet eam, quæ ab arteriarum tunicis, & præcedente sanguine continuò oritur, renitentiam. Saltem cùm ad minutiora vasa devenerit sanguis, motu adedò languido feretur, ut tenaciùs inter se cohæreant particulæ: quàm quæ per *capillarium* orificia satis expeditè traduci queant: ita ad *extremitates* vasorum aut subsistet penitus, aut segniter admodum perlabetur sanguis: cujus impetu ad hunc modum fracto & debilitato, in *extremis* orietur *frigus*, in *facie pallor*. Potest etiam non à *lentore* modò, sed ex ipso sanguinis *defectu* derivari *extremorum frigus*; *calor* quippe partis cujuscunque, est ut *causa*, quæ ipsum producit: ea verò *causa* nihil aliud est, nisi ipse *sanguis* calidus ad partes perveniens: ideoque, si ex defectu sanguinis *extrema* corporis aut parciùs aut non omnino irrigantur, necesse est, ut in iis sentiatur *frigus*. Eodem modo & *pallor in facie*, ob copiam sanguinis deficientem, orietur; certum enim est *puellas*, quò magis sanguine rite circumactò abundant, eò intensiùs *rubescere*.

Convulsio, uti mensibus suppressis à *repletione* proficiscitur, ita iisdem immodicè profluentibus, ab *inanitione*, quæ apud *Hippocratem* est altera *convulsionis* causa, deduci potest. Si enim in musculum quemvis derivetur liquidi copia minor, quàm in oppositum, orietur musculi oppositi contractio, uti ex iis, quæ de *convulsione* paulò ante diximus, patebit. Ita si musculos *laryngis* & *æsophiagi* corripit

spasmus,

spasmus, suffocationem quandam patietur foemina: quam tum maximè in mulieribus reperiri scribit *Hippocrates*^a, cùm menses supra modum profluxerint. Idem quoque hanc, quæ immodicis^b mensibus supervenit, *convulsionem periculosam* pronuntiat: quia, cùm hoc semel accesserit symptoma, signum est plus sanguinis effluxisse, quàm quod vires corporis citra noxam pati queant: ita ut solidarum partium tono vehementer labefactato, vix ulla salutis spes superfit.

Hæc quidem, quibus hæctenus immorati sumus, symptomata, non tantùm à mensibus immodicis sequi solent, sed à quocunque ferè *nimio* sanguinis^c, sive id naturâ, sive arte fiat, profluvio.

Imminuta verò evacuatione nimiâ sanguinis copia *qualitatem* etiam vitiabit, inferetque *cachexiam*. Quippe tum demum rite temperatur sanguis, & sua corpori constat *sanitas*, cùm legitima fiat humorum omnium, qui discerni debent, *secretio*: ea verò debitè peragi non potest, nisi intra certos limites constiterit *velocitas*. Datis quippe vasorum *orificiis*, in ratione *velocitatis* est secretio. Cùm itaque profusis mensibus, propter spirituum inopiam, cordis contractio, adeoque fluidi circulantis *velocitas*, remittatur admodum & languescat, minùs debita erit particularum *secretio*; ita multi intra vasa retinentur, quos eliminari oportuit, humores; *crasinque* naturalem amittit

^a *Morb. Mul.* I. 16. ^b *Aph.* 5. 56. ^c *Vid. Willis. & Bellin. passim.*

sanguis. Hanc sanguinis *cachexiam* multum promovet *chylus* in *primis viis* minus rite elaboratus: spiritibus enim imminutis, defunt *ventriculo & intestinis* vires, ita ut alimentum non satis validè comminuere queant: quod cum imperfectiùs conteritur, in sanguinis naturam difficiliùs migrat.

Nec *cachexia* solum à *chylo* minus comminuto, sed *lentor* etiam succedet: qui tamen, quamvis nullum in *chylo* fuerit vitium, à velocitate sanguinis imminutâ oriatur. Cum enim segniùs moveatur sanguis, deficit illa particularum attritio, quæ cohærentiam prohibet: ita, cum minor sit globulorum in se invicem actio, facilius erit unio, & compages densior. Sanguine adeò ad *lentorem* perducto, & canalium fibris propter spirituum defectum debilitatis & penè flaccescentibus, orientur *tumores* simili prorsus modo, ac in *suppressione menstruâ* explicatum est: quia, cum eadem utrobique sit causa, eundem etiam effectum potest producere: aliquando etiam succedet *hydrops*. Quanquam *hydrops* quidem mensium *suppressorum* comes frequentior sit, *redundantium* verò *hectica*.

Hectica rationem nuper exposuit vir^a in *theoriâ medicâ* versatissimus, ejusque symptomata à canalibus *secretoriis* supra modum *dilatatis* haud absurdè deduxit: hanc igitur *hectica* causam nos non discutiemus denuo, sed pro certâ atque concessâ habebimus; ostensuri tantum, quomodo à mensibus immodicis

^a *Theory of Fevers.*

hujusmodi succedat *canalium distensio*. Et ea quidem duobus potissimum modis efficitur. 1. Mensibus nimium profluentibus, uti deficit quod in corpore detineri debet *fluidum*, ita *solidæ* etiam partes sensim abolefcunt: pabulo enim suo defraudatæ, à mole pristinâ multum recedunt contractioresque fiunt, ita ut canales, quos undiquaque ambiunt, minus jam premere & constringere queant: remoto igitur hoc ad latera canalium obstaculo, sanguis intus decurrens fortiore impetu in fibras arietat, quas proinde facilius distrahit; unde major *vasorum amplitudo*. 2. Vasa laxius explicari patitur *tonus* fibrarum *labefactus*. Sanguine enim evacuatione nimiam exhausto, deficiunt tandem spiritus, qui fibras canalium *contractiles* vividè fatis animent, ut motum *tonicum* exercent, & debitam vi in sanguinem circumstantem reciprocè nitantur: viribus adeò fibrarum imminutis, sanguini impingenti cum imbecillius resistent canales, ipsius momento cedunt, & spatium *amplius* largiuntur. Sequetur etiam *hectica*, si, immutatam *canalium* amplitudine, minuatur certam ratione sanguinis *copia*; *humorum* enim respectu nimis *spatiosi* sunt *canales*: unde eadem oriuntur symptomata, ac si, cum nulla esset in *sanguine* molis mutatio, revera ampliaretur *vasorum* capacitas. Quippe si, sanguinis quantitate dimidio imminutam, eadem ac olim fuerint vasorum orificia, idem est, ac si consueta sanguinis quantitas in vasis circuletur, vasa verò dimidio ampliora fiant. Cum verò spiritus, quibus fibrarum


tonus conservatur, eâdem proportione ac sanguis deficient, erit *toni diminutio* in ratione fluidi imminuti *duplicatâ*. Ita, cùm utraque concurrat causa, *canalium* nempe *laxitas*, *sanguinisque imminutio*, graviùs invalescet, in eâdem scilicet ratione, *febris hectica*.

Ad hunc modum nascetur *hectica*, si canalium omnium, *cutaneorum* præsertim, labascat *tonus*; si vasa *secretoria* in particulari aliquo viscere *tonum* amiserint, *hecticæ* producendæ licèt impar sit ista meatuum ampliatio, id efficiet tamen, ut per eos fiat uberior liquidi secretio: quæ datâ sanguinis *velocitate*, est in ratione *orificii*. Ita si *uteri tonus* vacillet, *glandularum*, quæ internæ ipsius tunicæ interferuntur, adèò dehiscunt oscula, ut *lympham* suam in *uterum* copiosius effundant: eâ verò continuò foras stillante, orietur morbus ille, qui appellatur *fluor albus*: quo semper ferè laborant eæ, quas mensium fluxus nimius exhaust.

Succedit tandem *atrophia*, quia tum deficit, qui in corporis nutrimentum cedit, *sanguis*, tum *chylus* propter ventriculi imbecillitatem minùs rite comminutus est, tum denique quia ita debilitatur sanguinis *momentum*, ut non ictu satis valido succum *nutritium* in solidarum partium poros impellere atque adigere queat: ita impetu sanguinis infractò, coalescunt penitus & occluduntur, qui nutrimentum excipere solent, meatus. *Nutritio* quippe nihil aliud est, quàm succi alicujus *appositio*, sive perpetua in fibrarum poros alimenti successio.

Hoc

Hoc nimio mensium profluvio non æquè laborant omnes: *Virginibus* enim, uti frequentius multò restricti sunt, ita rariùs immodicè fluunt menses: in iis nempe, propter vasa *constrictiora*, non ita facilis sanguini patet exitus, ac in *puerperium* expertis.



C A P. XIII.

*De methodo in fluxu mensium immodico
Therapeuticâ.*

HUjusce morbi curatio pro ratione causarum diversa est; *duplici* enim modo provocatur fluxus immodicus, nempe vel *vasorum*, vel *sanguinis* vitio. *Vasa* quippe in vitio sunt, cùm flaccescunt nimium, & dehiscunt, h. e. cum ipsorum *fibræ* ita laxè inter se cohærent, ut sanguinis *momento* cedant: *sanguis* verò, cùm ita *redundans*, aut *tenuis* sit, aut rapidè circumactus, ut intra vasa uberiùs feratur.

Id verò semper advertendum est, fluxûs immodici *judicium* fieri debere, collatione habitâ ad priores circuitus, ad incommoda, ad victum præcedentem, ad sanguinis statum: *nimios* verò esse menses præ cæteris signis indicat *virium imbecillitas*, ita ut virium regulâ unicè metienda sit fluxûs redundantia. Quippe, quibus *diu substiterint*, vel ipsi menses, vel evacuationes aliæ solennes, in iis longiùs citra noxam durat fluxus; ideo *critica eruptio*,

quamvis diuturnior fit, nunquam subitò sistenda est. Pariter *mollibus* foeminis & *aquosis*, *otiosis* etiam & *victui indulgentibus*, diutiùs fluunt menstrua; quia in his omnibus uberior fit, quæ fluxum temperat, *plethora*. Igitur eas, quibus *sanguis aquosus*, & *habitus succulentus* fuerit, fluxui nimio magis obnoxias esse rectè pronuntiat *Etmullerus*^a.

I. Itaque *vasis flaccescentibus*, in eo præcipuè enitendum esse videtur, ut redintegretur, quocunque modo labefactus fuerit, *tonus*: qui quidem facilè restitui solet, si *externè* adhibeantur remedia, quæ fibras roborant, & constringunt. Hæc facilè ex *astringentium* familiâ depromi possunt, quorum sanè ratio, si operandi modum spectes, ita videtur explicanda. Scilicet cùm *astringentium* ea sit vis, ut humoribus *coagulum* quoddam inducant, quemadmodum mox probaturi sumus, particulæ *stypticæ*, sanguini effluenti commixtæ intimiùsque unitæ, quasi *gluten* effingunt, quo coalescant, & compingantur vasorum *lacunæ*. Præter hanc *coagulandi* vim, alia etiam in *externis* remediis virtus concipi potest, quæ vasa dehiscencia restringat, *stimulis* nempe *astringentium*; qui cùm acriter fibras pungat & vellicet, *vasa* adè irritantur, ut se validiùs contrahant, & motum quem vocant *tonicum* recolligant. Ita *urticæ* succus *naribus* admotus, *stimuli* virtute; *spiritus vitrioli*, tum *stimulando*, tum *coagulando*, hæmorrhagiam sistere videtur. Possunt etiam in usum vocari

^a Tom. I. 552.

interna remedia ; quæ tamen ad fluxum nimium, tum cum à *sanguinis* vitio oritur, quasi jure quodam pertinere videntur.

Quòd si *vasorum tonus* ultra modum debilitatus fuerit, cohibito fluxu, *internè* adhibenda sunt remedia, quæ fibras roborant ; ne proximâ fortè periodo, cum *sanguinis* plethorici *momentum* increverit, *vasa* adhuc imbecillia plus sanguinis, quàm par est, emitti sinant. Fibras itaque maximè roborant *analeptica*, sive ea quæ nutrimentum corpori largiùs sufficiunt, & *solidarum partium robur* instaurant.

II. Cum à *sanguinis* vitio ortum traxerint menses immodici, *curatio* exposcit duo medicamentorum genera, vel *revellentia* scilicet, vel *astringentia*.

I. Quippe *revellentia*, cum ad partes, quæ instituitur *revulsio*, humores uberiùs trahant, efficiunt, ut sanguis minore impetu ad *uterum*, unde *derivatur*, profluat : ita momento fluidi debilitato, *vasa* minùs jam distenta in statum *contractilem* redeunt, & sanguinem intra latera sua coercent. Ita mensium fluxum cohibet facta in *brachio revulsio*, sive per *venæsectionem* ea fiat, sive per *frictiones*, sive per *curbitas* ; quas & *mammis* admoveri suadet *Hippocrates*^a. Ita si *revulsione* quâdam *naturali* excitetur *sanguinis vomitus*, mulier profusis mensibus liberatur^b : quia sanguine tum imminuto, tum uberiùs sursum ducto, *vasa uterina* minùs premuntur. Hæc tamen *naturæ* methodus non ea esse videtur, quam *ars*

^a *Aph.* 5. 50. *Epid.* 2. 6.

^b *Aph.* 5. 32.

imitari debeat; *emetica* enim, cùm *abdomen* vehementer succutiant, menses promovent potius, quam restringunt. Idem de *fortioribus purgantibus*, quæ sanguinem agitant & rarefaciunt, dicendum est: possunt tamen adhiberi *mitiora*, ut subductâ alvo, aliqua, qualifcunq; ea sit, ab *utero* fiat humorum *revulsio*: quæ ideo *practici* astringentibus semper ferè *præmittunt*. Hisce *revellentibus* sæpe compescitur fluxus menstruus: cùm ex eo ortum duxerit, quòd sanguis, aut *redundans* fuerit, aut nimis *rapidè circumactus*.

His *revulsionum* generibus rejectis, *diaphoretica* suadet *Etmullerus*, quæ *serum copiosum unà cum acrioribus salibus per cutim eliminant*^a: quod tamen medendi consilium rationi parum congruere videtur. Quamvis enim copiam sanguinis imminuant *diaphoretica*, ipsius tamen compagem ita solvunt & attenuant, ut augeatur plurimùm, quæ ad vasa est, *plethora*: ita sub ipso fluxu si adhibeantur *diaphoretica*, periculum est, ne uberius prorumpant menses.

2. Ad compescendum fluxum adhibentur *astringentia*: quæ cùm *coagulum & lentorem* humoribus inducant, sanguinis impetum ita imminuunt & infringunt, ut *vasorum impedimentum* nequeat pervincere, uti in sequentibus fusiùs ostendetur. Ad fluxum sistendum aliquid fortè conferre potest & *stimulus* ille, quo pollent *astringentia*; etiam cùm *internè* adhibeantur: qui cùm fibras vasorum vellicet, ea stringere quodammodo & contrahere posse videtur:

^a Tom. I. 553.


videtur: licet fatendum sit non magni æstimandam esse hanc, quæ à *stimulo* derivatur, *astringentium internorum* virtutem.

Astringentibus annumeranda sunt *glutinantia*, inter quæ præcipuum locum obtinent *balsamica*; quippe hæc etiam, gradu licet remissiore, sanguinem incrassant, partiumque *crasin* compactiorem reddunt: ideo non modò sanguinis momentum imminuunt, sed & vasis dehiscensibus *gluten* quoddam affingunt. Quia verò imbecillioris efficaciam sint *balsamica*, iis non nisi *post astringentia* videtur esse in *praxi* locus.

Quò verò fluxus faciliùs sisti queat, adhibenda sunt non *interna* modò, sed & *externa* etiam, quæ jam in altero fluxûs genere descripsimus, *astringentia*; tardiùs quippe succedit curatio, si dum *sanguini* temperando opera impenditur, *vasorum* conglutinatio negligatur.

Cohibito fluxu, canalibusque satis obfirmatis, si, uti plerumque fit, defecerint *vires*, ad ea confugiendum est remedia, quæ sanguinem instaurant, spirituumque copiam sufficiunt: & ea quidem non ex *officinâ* modò, sed etiam ex *culinâ* depromenda sunt. Et hîc demum locum habent ea, quæ etiam *suppressis* mensibus profunt, remedia: quod libentiùs noto, quia hoc minùs habito *temporum* discrimine, multos fortè fefellerit *materia medica*, quæ, uti ab authoribus ordinatur, in utroque mensium vitio ferè eadem est^a.

^a *Blasii Mat. Med.* p. 563.



Historia I.

Feb. I. 1702.

Mulier quædam post partum fluxu mensium immodico correpta est, qui ad sex annos perstitit: ultimo biennio quotidie ferè profluxit sanguis, interdum in grumos, ovi magnitudinem æquantes, concretus. Siti & summâ virium imbecillitate laborabat, nonnunquam & febricitabat. Dolor in abdomine & regione uterînâ vehemens, & continuus. Cordis anxietas, aliquando etiam syncope invasit. Pulsus digito vix percipiendus.

Intentio curatoria videbatur, ut fluxu cohibito, reficerentur, quæ admodum languescabant, *vires*.

In fluxu igitur coercendo, cum *revellentibus* abstinendum duxerim, quia eorum usum prohibere videbantur vires supra modum imbecilles, *astringentibus* unicè confisus sum: atque ea quidem tam *internè*, quàm *externè* adhibenda curavi.

℞. Cortic. Granat. ℥ss.

Rad. Tormentill. ℥i.

Fl. Ros. Rubr.

Balaustior. \overline{a} a M. i. Coq. in Aq. Ferrar. lib. 3. ad Consumpt. lib. i. Colatura sit pro *fomentatione*, bis in die parti affectæ tepidè applicand.

Pro potu communi utebatur *decocto albo*, in cuius lib. 2. incoctæ sunt *cinnamomi* ℥2.

Internè

Internè adhibita est *tinçtura* illa *antiphthisica*, quam tantopere commendat *Etmullerus*^a, ex *saccharo saturni*, & *martis vitriolo* cum *sp. vin.* conflata. Hujus *tinçt.* gt. 20. in *aq. plantag.* cepit sæpius in die.

Urgente dolore, vel vigiliis, sumpsit *laud. liq.* gt. 20.

Feb. 3. Substitit fluxus; qui ne postea fortè redire posset, indies adhuc usque ad *Feb. 6.* repetebatur *fomentatio*.

Restricto autem ad hunc modum profluvio, *doloris & imbecillitatis* habenda videbatur cura. Desumpsi igitur ex medicinâ *Dieteticâ* juscula & cibos boni nutrimenti, ex *pharmaceuticâ* mixturam sequentem.

℞. *Tinçt. Croc.*

Laudan. Liq. Sydenh. $\overline{a} a$ 3 2.

Camphor. in Spir. Vin. ʒss. *dissolut.* ʒ i. *M.* Cap. gt. 30. sexies in die in *Aq. Cinnam. Fort.* & *Hord.* $\overline{a} a$ p. æq. unde plurimum refectæ sunt vires, & remisit dolor.

Feb. 8. Ex *labiis pudendi* quasi sacculus quidam membranofus prominuit: qui tamen versus uterum ita firmiter adhæsit, ut ex *vaginâ* extrahi nequiret. Graviter insuper foetebat. Et primâ quidem fronte interna *vaginæ* tunica *procidisse* videbatur: *placentæ* quippe reliquias esse minùs suspicabar, quòd mulier se à sex annis puerperam esse negârat, Cùm verò foetoris dolorisque ratione habitâ, incidere mihi aliqua de *placentâ* suspicio, rem paulò altiùs investigandam duxi; mulieremque percunctatus sum, num post ultimum illud puerperium

^a *Schræder. dilucidat.* p. 253.

abortum fecerit: Illa se circiter abhinc *bienio gravidam* fuisse aiebat, & terrore exanimatam, dum noctu per compita domum reverteretur, in viâ *abortiisse*; reversam verò non usam esse obstetricæ, quæ, utrùm aliquid in utero relictum fuerit necne, inspiceret. Ab eo etiam tempore *doloris* origo ducta est.

Morbo igitur sub examen hoc vocato, ea visa est *indicatio*, ut *uteri & musculorum abdominalium* ita instauraretur vis, quæ *placenta* reliquias foras expelleret. Ad quem finem quia plurimùm conduceret præscripta *mixtura*, illius gr. 40. indies sæpe assumptæ sunt: Quo remedio ita spiritus resecti sunt, ut

Feb. 10. Aliqua *placenta* portiuncula foras excluderetur, non graveolens modò, sed planè putrida.

Feb. 11. Exclusa est & altera foetore simili portio. Deinde nulla substantiæ istius membranaceæ intra *vaginam* vestigia: etiam omnis illico sopitus est dolor.

Feb. 13. Vires ita redierunt, ut lecto, cui per mensem ferè affixa fuerat, jam per horas aliquot abesse posset. Nulla nisi de virium imbecillitate, & appetitûs remissione querimonia. Usa est indies *mixturâ*, unde semper se plurimùm levare sensit.

Feb. 17. Rediit fluxus: quem, quoniam mediocrem valde & nullo gravi symptomate stipatum esse conspexerim, nolui compescere; videbatur enim evacuatio mensium *naturalis*, & ordinaria: quæ itaque *quatriduo* terminata est.

Feb.


Feb. 23. Ut viribus ulteriùs prospectum sit, præscripta sunt sequentia.

℞. *Tinctur. Cortic. Peruv. (in Vin. Alb.)*
lib. i. ℞.

Tinct. Croc.

Spec. Diamb. a a ʒss. M. Cap.
Coch 6. ter. in die.

Feb. 25. Appetitus ad se rediit. Nihil nisi virium robur sanitati defuit; quod etiam, *decocto* ad duas vices repetito, intra mensem feliciter instauratum est.



Historia II.

Sept. 10. 1701.

Mulier pleni habitûs, & mensibus paulò copiosius purgari solita, ab exercitio immodico in fluxum nimium incidit; ita ut primò quidem ad *sex*, deinde ad *duodecim* dies largâ copiâ demitterentur menses. Hoc malo cum per æstatem omnem laborâisset, vires admodum dejectæ sunt: invasit sæpe syncope, & spasmus; intumescebant pedes. Facies penè hippocratica. Sanguis tenuis valdè, non guttatim, sed continuo quasi flumine profluxit. Cùm eam primò inviserem, quatruiduo jam perstiterat fluxus.

Postulabat igitur morbi *indicatio*, ut quamprimum cohiberetur profluvium. Hoc ut effici posset, adhibita est, uti in *histor. I, fomentatio*.

Horâ decubitûs, usa est *hypnotico* sequenti.

℞. *Tro-*

℞. Trochisc. Gordon. ʒʒ.

Laudan. Londin. gr. 2.

Mucilag. Gum. Arab. q. s. M. F. Pil. exiguæ. Cap. 3. quibus assumptis, fatis placidè dormiebat.

Sept. 11. Mensibus etiamnum profluentibus, præscriptum est hujusmodi *electuarium*.

℞. Conserv. Ros. Rubr. ʒ i.

Bol. Armen.

Croc. Mart. Astring. $\overline{a} a$ ʒ i.

Mastich.

Terr. Japan. $\overline{a} a$ ʒ 2.

Spec. Diatriwn Santal. ʒ 4.

Syr. è Symphyt. q. s. M. F. Elect.

Cap. q. n. m. 4tâ quâque hor. superb. Coch. 5. Julap. seq.

℞. Aq. Sperm. Ranar.

Plantagin.

Cinnam. Hord. $\overline{a} a$ lib. ʒ.

Syr. è Corall. q. s. M. F. Julap.

Cap. etiam ter in die Spir. Vitriol. gt. 40. in quovis vehiculo.

Repet. Foment. & Pilul. præscript.

Sept. 13. Manavit adhuc, sed non nisi guttatum, fluxus: qui tamen remediis rite assumtis, Sept. 15. omnino cessit.

Igitur in eo jam omnis medendi cura versari debuit, ut firmarentur vasa, & prohiberetur illa sanguinis raritas. *Primæ* intentioni ut satisfaceret, quotidie repetita est *fomentatio*; *secundæ* par esse videbatur *glutinantium*, & *balsamicorum* usus. Postpositis itaque *astringentibus*, instituta est sequens methodus.

℞. De-

℞. *Decoct. Alb.* ℥. 2.


Aq. Cinnam. Hord. ℥. iii.

Sacch. Alb. q. s. M. Cap. ℥. 4. quater in die.

℞. *Balsam. Capiv.*

Polychrest. a a ℥. 2. Cap. gt. 25.
horâ decubitûs in *Conserv. Ros. Rubr.*

His adhibitis remediis, post trium ferè hebdomadam intervallum, *Oct.* 5, redierunt menses: & ad *sex* quidem dies demissi sunt. Repetitis verò iis quæ ultimò præscripta sunt, periodo proximâ, *quatriduo* terminatus est fluxus: qui, eundem intra terminum etiamnum subsistens, mulieri sanitatem restituit.



Historia III.

Maii 21. 1703.

MUlieri, annos 36 natæ, post abortum ad tres periodos per dies *quatuordecim* manârunt menses; deinde per trimestre ferè spatium, *quotidie* eruperunt. Quo profluvio ita labefactatæ sunt vires, ut vix stare, nedum ambulare potuerit. Spiritum ita graviter duxit, ut penè in suffocationis periculum incidere. Invasit aliquando *syncope*, aliquando *hysterica passio*: ita ut per horam unam aut alteram quasi animæ expers jaceret. Pallor & macies, qualis in *phthificis*. Pulsus debilis, frequenter etiam intermittens.

Indicatio *Curatoria* primò ad fluxum compe-
scendum, deinde ad vires instaurandas respi-
cere visa est.

Usa est igitur *fomento*, in *histor.* 1. descrip-
to: cujus quidem vim semper ferè efficacissi-
mam comperi.

Internè adhibitæ sunt, in *decoëto tormen-
tillæ spir. sal. dulc.* gt. 20. quater in die.

Maii 25. Fluxus paulò imminutus, quoti-
die licèt recrudescens.

In potûs communis locam suffecta est fe-
quens *emulsio*.

℞. *Amygdal. Dulc. excortic.* ʒi.

Sem. 4 *Frig. Maj. a a* ʒ2. quibus in
mortario contusis affund. *Aq. Hord.* lib. 2. co-
laturæ add.

Sal. Prunell. ʒ2.

Syr. Althæ. q. s. M.

Maii 30. Substitit fluxus; postero tamen
vespere, denuo erupit.

Ufu verò præscriptorum continuò ita tem-
peratum est profluvium, ut à *Jun.* 3 ad 9 pe-
nitus sisteretur; deinde, post mensem exactum,
ad solennes periodos rediret. Cohibito igitur
fluxu, & canalibus satis obfirmatis, *alterius
indicationis* ad hunc modum habita est ratio.

℞. *Cortic. Peruv.* ʒi.

Ra. Zedoar. ʒß.

Cochinell. ʒ2. Digerantur cum *Vin.*

Alb. lib. 2 tepidè per triduum. Liqueoris fil-
trati cap. ter in die ʒ2. In quolibet haustu in-
stillentur

Tinct.

Tinct. Serpentar. Virgin. gt. 20.

Noctu, quia frequenter *insomnis* fuerit, nonnunquam etiam & *hysterica*, usa est *pilulis pægoricis*.

℞. *Galban. col. ʒi.*

Spec. Diamb.

Castor.

Camphor. āā ʒʒ.

Laudan. Londin. ʒi. M. F. Pil. 20.

Cap. 2. ante decubitum, superb. *Tinct. præscript. Coch. 4.*

Dieta fit ex cibis ad *nutriendum* maximè idoneis.

Jul. 19. Ventriculus, qui hæctenus malè se habuit, multùm reffectus est. *Vires* etiam aliquatenus roboratæ. Incunte *Augusto*, mulier, methodi præscriptæ usu, integrè convaluit.

C A P. XIV.

De remediorum viribus, & operatione.

Illustratâ jam variis ratiociniis plethorâ, & per omnem *phænomenorum* seriem deductâ, *remediorum*, quæ *internè* adhibita mensibus vitiatis mederi solent, *vires*, tanquam ultimum theoriæ nostræ argumentum, expendamus: his quippe rite investigatis, facilè patebit, *Emmenagoga*, sive ea quæ menses suppressos cient, *plethoram* ad vasa *intendere*;

eandem verò ab *astringentibus*, five ab iis quæ fluentes sistunt, *imminui*.

Hæc quidem remedia, tanquam *utero specifica*, à plerisque prædicantur; cùm solummodo humorum *crasin* ita immutant, ut pro variâ sanguinis texturâ aut provocetur, aut sistatur per *uterinas vias* profluvium: ita ut hæc *sensibilis operatio* nihil aliud sit, nisi alterius cujusdam, quæ in *sanguine* peragitur, operationis effectus necessarius: qui quidem non tam peculiari alicui *remediorum* efficaciam, quàm ipsius *uteri fabricæ* debetur. Hoc sanè à scriptoribus parum animadversum est, qui, cùm de remediorum viribus differant, pro actione *internâ* operationem *sensibilem* substituunt; ita apud eos alia *diuretica*, alia *diaphoretica*, alia *emmenagoga* appellantur, cùm tamen de *agendi modo* nihil inde innotescat: quæ quidem medicamentorum operatio non modo non est *primaria*, sed fallax etiam, & incerta. Ex. gr. si exhibeatur *diaphoreticum*, nemo ignorat id pro voto minimè cessurum, nisi aperiantur *pori*: iis enim occlusis, quamcunque in *sanguine* virtutem exerat remedium, ad *sudorem* provocandum est prorsus inefficax. Sive tamen *sudor* succedat, necne, eodem modo in *sanguinem* agit *diaphoreticum*; sanguinem enim ad certos quosdam gradus attenuat & *resolvit*, ut ejus tenuior pars per poros cutaneos, nisi præcludatur via, elabi possit: ipsa tamen *diaphoresis* non est actio medicamenti *primaria*, sed ab humoribus ita attenuatis, nisi *pori* prohibeant, necessariò fluit; si enim *pori* occlusi

clusi fuerint, ita *sanguinem* rarefacit *diaphoreticum*, ut *ardorem*, nonnunquam & *febrem* inducat. Ita ut propria medicamenti virtus non in humorum *diaphoresi*, sed *resolutione* consistat. Par est in *emmenagogis* ratio; ea quippe perpetuâ & immutabili quâdam agendi normâ *plethoram* exsuscitant, ut per *uterina vasa* erumpat sanguis. Potest verò talis esse ad *uterum* obstructio, sive canalium, sive sanguinis vitio, quæ à nullis *emmenagogis* pervinci queat; cùm tamen *emmenagogi* eadem sit, ac si *menses* cieret, in molem sanguineam operatio. Ita ejusdem remedii varia esse potest *sensibilis operatio*, uti rectè argumentatur Cl. *Cockburnus*, vis verò, quam in *humores* exercet, unica sibi que perpetuò constans.

Hinc est, quòd illa de remediorum viribus disquisitio inter *medicinæ desiderata* poni soleat; cùm si *simplex* & *primaria* accuratè observetur *operatio*, explicationem non ita difficilem exigant *remediorum* virtutes. Quippe adhibitâ hâc ratiocinandi methodo, concideret omnis illa, quæ pharmacorum viribus immeritò objicitur, *incipitis efficacie* querela. Queruntur enim medici nullum dari remedium, quod certam aliquam agendi normam persequitur, imò quod non potiùs ita incertum & fallax est, ut sæpe *variâ*, nonnunquam etiam *contrariâ*, nec in diversis modò, sed & in eodem corpore, vim exercent. Ita delirantibus medicis, innocua plectuntur pharmaca. Hæc enim, quam medicinæ exprobrant, operationis *varietas*, non ex mutabili *remediorum* virtute,

sed ex multiplici *corporis* statu deduci debet. Eorum quippe actio eadem semper est sibi que consentiens; cum verò corporis, in quod agunt, dissimillima sit indoles, adhibitis remediis, ratio postulat, ut non *diversus* modò, sed & *contrarius* aliquando oriatur effectus. Ita v. gr. detur medicamentum, quod humores viscidos *resolvat*: id quidem suâ *attenuandi* vi operatur, licet pro vario *lentoris* genio diversè; ita ut in alio, qui minoris est cohærentiæ, *resolutio* sit major; in alio, qui majoris est, minor; in alio denique, qui firmius compingitur, nulla; ita varia quidem medicamenti ad *medendum* vis, non varia tamen in *agendo* norma. Quomodo enim eadem vis diversa longè momenta queat pervincere? quomodo similis semper esse posset *agentis* energia, cum ita dissimilis prorsus sit corporis, in quod agitur, natura? Constantem hanc à medicamenti sperare efficaciam ita ridiculum est, ut nihil mirum sit, si etiam ab eodem medicamento educi possit effectus *contrarius*. Concipiamus enim eam esse sanguinis *crasin*, ut pars ejus longè maxima insigniter lentescat, cohærentiæque in eâ momentum validius sit, quàm quæ ab *attenuantium* viribus resolvi queat: in hoc casu si adhibeatur medicamentum *resolvens*, eam quidem sanguinis partem, quæ minùs lentescit, ita fundit & attenuat, ut per *glandulas secretorias* uberiùs extrudatur; ita, medicamenti vi eliminatis particulis tenuioribus, crassior erit reliqui sanguinis compages. Ad hunc modum, uti & docet experientia, *lentorem* aliquando

quando augent *diaphoretica*. Igitur *opium*, quod ad *referendam* sanguinis compagem, & *sudores movendos* maximè efficax agnoscit *Willisus*, nullo alio modo sanguinem *incrasare* posse arbitratur, nisi quatenus *serositates copiosè secerni* & *amandari faciat*; proinde ut *liquor residuus spissior*, & *compactior evadat*. Neque id fanè *medicamento* imputandum; (hoc enim eam agendi normam, quam ipsi præscripserit natura, constanter fideliterque observat) sed *humoribus* potiùs, qui variæ hujusce efficacix necessitatem inducunt. Ita corpora quædam *emollit*, quædam rursus *indurat* ignis; cùm tamen in ipso igne nulla sit agendi varietas. Ita *febris*, si tenuior sit sanguis, pulsus excitat; si crassior, *deprimit*. Etiam *chalybs*, qui, si vasa lentescente sanguine oppleta ulterius se distendi sinant, vi suâ *obstructionem tollit*, eandem iis renitentibus *auget*. Quod in *hystericis affectibus* sæpius compertum habui. Pari modo *emetica*, si ventriculus *robustior* sit, *alvum* movent: contrâ, si *tenerior* fuerit, *vomitum* cient *cathartica*. Ita denique *syrupus violarum*, cum *acidis* admixtus, colorem *rubrum*; cum *alcalicis*, *viridem* exhibet: quæ tamen coloris diversitas non variæ *violarum* virtuti, sed corporum, quibus commiscentur, dissimili ingenio ascribenda est. Etenim unica eaque levissima nonnunquam circumstantia, si immutata sit, id efficere potest, ut medicamenta non variis modò, sed & contrariis etiam viribus pollere videantur: uti in speculis concavis,

^a Pharm. Rat. p. 1. 301.

multiformem objecti imaginem exhibet sola *distantiæ* mutatio.

Ut verò res omnis exemplo clariùs pateſcat, ſub examen revocetur *opii* in ſanguinem operatio: à quo certè, ſi ab alio quopiam remedio, excitantur *phænomena*, non modò inter ſe diſjuncta maximè, ſed & repugnantia. Supponatur igitur, id quod mox oſtenſuri ſumus, actionem *opii* primariam in ſanguine *attenuando* conſiſtere. *Attenuato* ſanguine, neceſſariò ſequitur, ut uberior ſpirituum copia ſecerni debeat; hinc *animus alacer, vegetus, pacatus, vigil, vires corporis inſtauratæ*; quod præcipuè experiuntur ii, qui *opium* interdium parciore *doſi* aſſumunt: animo ita reſectò, obrepit ſenſim *doloris oblivio*; viribus verò roboratis nonnunquam fit, ut *fætum, & calculum expellant opiata*.

Cùm verò ſanguinis particulas ita attenuat *opium*, facit, ut ſiquid in *arterioliſ* hæſerit, jam in *venas* trajici queat: unde remotâ omni *obſtructione*, ceſſat ille, qui ab humoribus ſtagnantibus frequenter oritur, *dolor*. Eodem modo ſolvitur *febris intermittens*; quam à *lentore* ſuprà deduximus. Viis igitur recluſis, ita ut conſueti ſpiritibus ſanguiniq; pateant aditus, ſopitur, quæ à nervis obſtructis provenit, *convulſio*. Ita *opio* frequenter cedit *colica convulſiva, & ſingultus*; quibus etiam annumerari poteſt *vomitus, & purgatio enormis*.

Spiritibus *opio* reſectis, validiùs ſe contrahit *cor*, unde vividior ſanguinis circuitus: ſanguine autem *attenuato*, & velociùs, quàm conſuevit

suevit, ad *cutaneas glandulas* delato, succedit *libera perspiratio*, & *sudor*; quia tum ob *rariorem sanguinis texturam* facilius fit per poros *secretio*, tum ob *velocitatem* auctam etiam *uberior*. Hujusmodi *perspiratio* largius provocata, *sanguinis*, & *ventris profluvia sedat*; quia humoribus per *poros* evacuatis, fit à parte affectâ *revulsio*: eadem quoque *tussim*, & *catarrhos solvit*. Humoribus verò ad hunc modum resolutis, & in exteriora protrusis, *efflorescit cutis*, nonnunquam & *prurit*.

Cùm verò, sanguine attenuato, non modò sit *uberior spirituum copia*, & proinde *impetus cordis fortior*, sed augeatur etiam ad *vasa humorum plenitudo*, utrâq; de causâ *pulsus excitabit*, *menfes* etiam, & *lochiam provocabit opium*.

Ita ferè corpus afficiunt modicâ dosi assumpta *opiata*, cùm adhuc intra debitos limites constiterit ea, quæ ad *vasa* inducitur, *plenitudo*: quæ tamen si, *opio* liberè nimis adhibito, ulterius increscat, alia prorsus, eaq; multùm diversa, exhibet *phenomena*. Sanguine enim ita attenuato, ut *arteriæ cerebri* latiùs, quàm par est, distendantur, *nervorum*, qui iis ubiq; interferuntur, non potest non valida esse *compressio*: compressione verò necesse est aut *intercipi penitus*, aut saltem *copiâ minore* fecerni spiritus: ita ut ingruat *dyspnœa*, *obruatur animi vigor*, & pro ratione momenti illius, quo *nervos* premunt *arteriæ*, succedat aut *stupor*, aut *somnolentia*, aut ipse *somnus*; eodem modo ac à *vino* liberius epoto sequi solet.

let. Interceptis adeò spiritibus, *imminuuntur vires*; quibus deficientibus, *languescit pulsus*, nonnunquam & *concidit inferior maxilla*: tonusq; partium ita vacillat, ut relaxentur admodum fibræ; inde *pupillæ dilatatio*, *ischuria*, & *membrorum quædam quasi paralysis*. Ad eandem normam facilè illustrari possunt reliqui *opiatorum* effectus, qui utcunq; inter se dissimiles sint, unicam tamen agnoscunt causam, sanguinis scilicet, quæ ab *opio* inducitur, *attenuationem*: quæ cùm *arteriarum carotidum* capacitatem ampliet, à solâ *diametri* mutatione pendet omnis illa operationis discrepantia. Et hæc quidem insequuntur mala, non modò cùm manu nimis liberâ, sed cùm alieno tempore, & corporis cui adhibetur parum spectatâ conditione, detur *opium*: *nimia* enim *dosis* non tam *officinali* mensurâ, quàm corporis ratione dijudicanda est. In alio quippe humorum statu desideratur *larga dosis*, in alio sufficiet mediocris, in alio etiam nocebit minima. Siquid verò hujusmodi acciderit, id *medenti* potius, quam *remedio* imputandum est.

Hæc paulò fusiùs explicata sunt, ut manifestum fiat, quàm iniqua sit medicamentorum accusatio, quasi in iis fuerit agendi modus multiformis, & tanquam desultorius. Ita ut quicquid incerti fuerit, id non tam *instrumentis* medicinæ, quam *subjecto* ascribi; non tam ad *vires pharmacorum inconstantes*, quàm ad *humorum crasin ignotam* referri debeat. Itaque cùm medicina nihil aliud sit, quàm morbi & medicamenti comparatio, nisi illius indoles
 probe

probè intellecta sit, hujus vires frustra explorantur. In eo quippe præcipuus esse debet medici labor, ut *humorum* variam temperiem inclinationesque omnes perspiciat; sic enim, quid eos excitet, quid compescat, feliciùs dignoscet: quorum momenta cùm ita varia sint, ut non tantùm ob *numerum* minùs accuratè animadverti, sed ob *similitudinem* etiam minùs distingui soleant, is certè, qui illorum morem acutiùs inspexerit, aptissimâ utetur medicinâ. Quâ quidem in re, ab *empirico* maximè discernitur *rationalis* medicus; qui non tantùm *remedii*, quod adhibet, sed *mali* etiam, cui id adhibetur, vires explorat.

Sed, ut eò unde digressi sumus redeamus, inquirendum restat, quænam sit *medicamentorum*, quæ mensibus vitiatis profunt, *operatio primaria*. Ordiamur itaque ab *emmenagogis*, mox ad *astringentia* perventuri.

Emmenagoga ferè omnia sunt etiam *alterantia*, aliter ac censet *Etmullerus*^a; *crasin* enim sanguinis immutant. Eorum verò operatio à vi quâdam *attenuatrice* potissimùm deducitur. Quippe, cùm partium tenuium sint & maximè penetrantium *emmenagoga*, molem sanguineam ita incidunt & comminuunt, ut minor sit globulorum inter se contactus, & proinde compages rarior: sanguis verò ad hunc modum *attenuatus*, non modò spatium amplius intra canales occupat, sed spiritus nervis uberiores sufficit; unde iterum corde vehementiùs contracto, fortiore impetu per arterias circulatur. Ita cùm adhibitis *emmenagogis* non modò ad

^a Tem. I. 547.

vasa increfcant *plenitudo*, fed & cordis augeatur vis, fanguis *canales uterinos* præ cæteris validiùs feriens & distendens, quemadmodum fuprà fatis oftensum eſt, per eos viam ſibi patefacit. Cùm verò frequentior menſium ſuppreſſorum cauſa à *lentore*, qui *capillaria* obſtruit, oriatur, ab *emmenagogis* ita *attenuantur* humores, ut illa ipſa ſanguinis portio, quæ vaſorum lateribus adhæſit, jam per minima orificia fatis promptè traduci queat; ita aditu patefacto, fanguis ſolenni more vim ſuam in canalium latera exercet, quæ ad capillaria, dum obſtructa eſſent, minùs potuit pertere. Ita *emmenagogis* inſtaurantur ſpiritus, & vis cordis augeſcit; quia iis adhibitis *attenuatur* fanguis. Id verò notandum volo, non ſolùm ab hâc *attenuatrice* virtute deduci ſpirituum incrementum. Hoc enim conſeſſo ſequitur, ut quicquid potentiùs *attenuat*, id etiam maximè eſſet *cardiacum*; ſecus ac teſtatur experientia. Ex gr. *cortex Peruvianus* multò magis *attenuat*, quàm *chalybs*; ad *pulſum* tamen excitandum longè ineptior. Igitur in remediis *cardiacis*, & proinde menſes moventibus, *duplex* eſt operandi ratio: alia enim *attenuando* ſanguinem ſpiritus reficiunt, alia ruruſ, etiamſi humores non attenuent, ſpirituum ſecretionem promovent. De illis fuprà dictum eſt. Ad hæc quantum attinet dicendum eſt, nonnullis remediis ineſſe particulas in ſpiritus faciliùs mutabiles, iisque quaſi cognatas & congeneres, uti & quibuſdam *alimentis* inſunt ſucci ad nutriendum magis idonei: ita

ita ut, imminutâ sanguinis cohærentiâ, ex ipso medicamento hauriri queant *spiritus*. Spiritibus ad hunc modum reſectis, vehementiùs contrahitur cor, & ſanguis velociùs circumagitur; increbrefcente adèò ſanguinis motu, cùm calor etiam increſcat, quod capite & ſatis probavimus, *aëris* particulæ, quæ globulis ſanguineis immixtæ ſunt, calore, uti in *thermometro* fit, *rarefactæ*, ſefe undique expandunt, canaliumque tunicas diſtendunt: ita poteſt eſſe ſanguinis *rareſcentia*, cùm minimè interim *attenuetur* compages. Quod in *febribus* sæpe fit, licèt parum obſervetur. Hæc tamen *rareſcentia*, cùm ad *vaſa plethoram* augeat, menſes æquè potenter provocat, ac ſi *attenuaretur* ſanguis. Cùm itaque à *vaſorum durtie* oriatur *ſuppreſſio*, cum fructu adhiberi poſſunt ea, quæ humores *rarefaciunt*; cùm verò *ſanguis* in vitio fit, ea etiam, quæ *attenuant*, in uſum ſunt vocanda. *Emmenagoga* verò his *attenuandi* viribus præcipuè inſtructa eſſe, tum *ratio* ſuadet, tum *experimenta* confirmant. Argumentorum igitur capita erunt *quatuor*: *remediorum* ſcilicet, 1. *Effectus ſenſibiles*. 2. *Cum ſanguine adhuc tepente*, & 3, etiam cum *ſyrupo violarum commixtio*: 4 denique, *injectiones in vivo animali per ſyringa inſtitutæ*.

I. Itaque *emmenagogis* hanc *attenuandi* virtutem ineſſe probant eorundem *effectus ſenſibiles*; ex quibus ſatis erit ſequentes tantùm expandere.

1. *Saporem*; qui, cùm in *emmenagogis* plerumq; *acris & amarus* fit, indicat partes eſſe

tenues

tenues, & ad motum excitandum idoneas: igitur hujusmodi *sapor* in iis præcipuè observatur, quæ *sale volatili* abundant; *salis* verò *volatilis* ea est efficacia, ut sanguinem plurimùm *attenuet*, spiritusq; *instaurat*. Ita *sapore* vires suas produunt, *opium, gentiana, myrrha, arum, absinthium, sabina, ruta, pulegium, centauréum* &c. *calida omnia, & odorata*: quibus adjici potest *cortex peruvianus*, qui licèt nondum inter *emmenagoga* locum obtineat, iis tamen, propter egregiam illam, quam in *attenuando* sanguine exercet vim, annumerari debet.

2. *Odorem*; qui, si vividior sit, *salis volatilis* æquè ingenuus est index, ac *sapor*. Tali *odore* pollent ex *amaris* pleraque, item *aromatica* omnia, quæ itaq; universa *emmenagogis* ascribi solent, & apud *Heurnium*^a utero *studere* perhibentur. Ex quibus tamen primas meritò obtinet *crocus, & cinnamomum*. Inter ea quæ odorem *acrem* præ se ferunt, reponenda sunt *urinosa*, v. g. *sal armoniacus, sal corn. cerv.* &c. quæ ideò menses potenter cient.

3. *Pulsus incitationem*: qui, cùm fortiùs increbrescat, satis ostendit sanguinem ita *attenuari & rarefcere*, ut copiosior fiat spirituum secretio; unde cordis impetus, qui *pulsus* regit, validior. Hoc præ cæteris *emmenagogis* efficiunt *chalybs, & hydrargyrum, calida, & cardiaca* omnia; quorum ulus ad movendos menses plurimùm semper valuit.

4. *Calorem*. Cùm enim *calor* nihil aliud sit, nisi partium motus vividior, hoc inter se invi-

^a *Meth. ad Prax.* 306.

tem attritu fit, ut sanguinis globuli divellantur plurimum, & *rarescant*. Ita ubi nullum ferè est *emmenagogum*, quod calorem non excitet, sic etiam quicquid calorem inducit, mensibus etiam ciendis prodest: quemadmodum fatis ostendunt *cardiaca*, & *stomachica*.

5. *Diaphoresin*; quam quæ provocare possunt pharmaca, ea certè sanguinis cohærentiam ita *resolvunt*, ut faciliùs per poros secerari queat. Igitur inter *emmenagoga* utramque paginam faciunt *diaphoretica*; ex quibus ferè cum nullum sit *opio* potentius, fatis constat id etiam mensibus movendis haud ineptè adhiberi.

II. *Attenuatricem* hanc, quam *emmenagogis* ascripsimus, virtutem probat ipsorum cum *sanguine* adhuc *tepente* commixtio. Neque hoc, quod ab hujusmodi *experimentis* deducitur, futile videtur argumentum. Quippe si sanguini stagnanti, & jam sponte in *lentorem* abeunti, admista *emmenagoga* prohibeant, quò minùs *coaguletur*, & *concreseat*; certè si *motus* accesserit & valida fatis partium inter se *agitatio*, quemadmodum in corpore fit, *emmenagogis* adhibitis faciliùs *rarefcet* sanguinis cohærentia; uti ratio non *analogica* modò, sed & *mathematica* postulat. Idem enim utrobique agendi modus, licèt vis *gradu* multùm diversa; quod qui negant, iidem etiam sensuum testimonia redarguent.

Sanguinis igitur ex arteriâ *canis* recenter extracti sequentibusque admixti, ita se habuerunt *phenomena*, Feb. 12. 1702.

1. Cum *spir. salis armoniaci*. Floridus admodum color, & compages fluida: quod etiam fit, si in *substantiâ* adhibeatur ipse *sal*. Feb. 18. fluorem retinuit sanguis, quoad colorem tamen paululùm nigrescens. Cum *spiritu salis armon. succinati* eadem exhibuit, nisi quòd citiùs nigresceret.

2. Cum *decocto sabinæ*. Rubedo intensior, & major tenuitas, quàm cum *spir. sal. armon.* Feb. 13. eadem phænomena. Pari modo se habuit *decoctum marrubii*.

3. Cum *laudano liq. Sydenham.* Sanguis rutilantior, quamvis non multò tenuior, quàm cum *decocto sabinæ*. Feb. 13. Color paulò subfuscior. Idem quoque admisto *spir. corn. cerv.* apparuit, uti etiam & succo *salviæ, lavenderulæ, imperatoriæ, pulegii, absinthii.*

4. Cum *panacéâ opii liq. D. Jones.* Eadem præbuit ac *laudanum liq. Syd.* nisi quòd Feb. 13 color nihil de nitore amiserit.

5. Cum *aquâ rutæ still.* Fluiditas summa, nec Feb. 13, quicquam immutata. Idem præbuit *aqua absinthii.*

4. Cum *spiritu vini rectif.* sanguis coagulatus admodum, & instar *visci* lentescens. Feb. 13, *conservam cynosbati* tam colore, quàm crassitie referebat. Idem exhibuit *spiritus vini camphoratus*, nisi quòd imbecillius esset *coagulum*. Idem quoque effecit & *tinctura opii cum spir. vini camphorato* extracta.

7. Cum *tincturâ corticis peruviani spir. vin. extract.* sanguis crassus valde, & obscurus. Feb. 13. paulò splendidior, tamen fortiùs adhuc

concretus. Idem *cortex vino* ad saturitatem infusus summam sanguini fluiditatem, & colorem elegantissimum conciliabat.

8. Cum *tincturâ jalapii*. Color vividus, & rutilus, compages densa. Feb. 13. Utrumque intensius. Eadem præbuit *tinct. scammonii*, & *spir. lavend. comp.*

9. Cum *tinct. succini*. Color subfuscus. Massa in grumos abiit. Feb. 13. Satis forte coagululum. Pari modo sanguinem immutavit *tartari tinctura*.

10. Cum *calomelan*. Rubedo vivida. Fluor etiam factus intensior. Supernatabat plurimum feri.

11. Cum *æthiop. min.* ad fundum demissa est massa nigra: pars reliqua satis attenuata.

12. Cum *sal. genist.* Color vividus: fluiditas, quàm in ipso sanguine, major.

13. Cum *sal. absinth.* Rubedo & fluiditas summa.

14. Cum *sal. tartar.* Color idem, compages tamen paulò densior, quàm in *sal. absinth.*

15. Cum *tinct. chalyb. Lower.* sanguis tenuior multò factus, & rubicundior. Supernatabat spuma quasi oleosa.

Cum sero sanguinis humani admixta sunt sequentia.

1. *Tinct. Aloes cum Aq. Mentb. extract.*

Decoctum Sabinæ.

Aqua Sabinæ still.

Aq. Fontan.

Decoctum Gentianæ.

Ari.

Sarzæ.

Chinæ.

Spir. Sal. Armon. cum Cin. Clavell.

cum Calce vivâ.

Succinatus.

Spir. Tartari.

Ol. Semin. Carui.

Panaceâ Liq. D. Jones.

Laudanum Liq. Sydenh.

Spir. Croci.

Spir. Terebinth.

Tinctura martis tartari.

Spir. Guaiaci.

Sp. Corn. Cerv.

Ol. Tereb. Guaiac. Lav. Caryophyl.

2. *Decoctum corticis peruviani.* Serum multò magis, quàm à prioribus, in fluorem reductum.

3. *Spir. vini. camphorat.* Fortiter coagulatur. Phialæ inditum cum aliquamdiu remanferit, in fundo apparuit *hypostasis* fatis copiosa: liquoris pars superior clara, & pellucens.

4. *Spir. vini rectif.* Phialâ pariter inclusum, sine ullâ præcipitatione turbidum permanfit.

5. *Tinc-*

Color pro liquorisatione varius, *seri* tamen compages aliquantò tenuior facta; quæ, ad diem unum aut alterum, immutata perstitit.

5. *Tinctura Scammonii.*

Castorei.

Succini simpl.

Sulphuris.

Corticis Peruv.

} Serum mediocri-
ter coagulabatur.
Eadem exhibuit
spir. vini tartari.
& *ratafia.*

6. *Tinctura Croci.*

Metallorum.

Potestates Succini.

Sal Volatilis Oleosus.

} Leve aliquod coa-
gulum.

7. *Tinctura martis mynsicthi.* Coagulum forte. Ad fundum demissa est massa, instar gummi, concreta.

8. *Tinctura antimonii diaphor.* Turbatum & aliquatenus concretum.

9. *Tinct. Jalapii.*

Succini cum Sal. Armon. pp.

} tantum
turbidius.

10. *Tinctura coccinea, ex spec. diambrae & cochinnella cum spir. vini extracta.* Nul- lum ferè coagulum.

Annotabit lector, omnia hæc, quæ *sanguini & sero* admixta sunt, eorum compagem *attenuare & dissolvere*, præter *tincturas* eas, quæ *spiritu vini* extrahuntur. Sed hæc quæ ab hujusmodi *tincturis* oritur *concretio*, non *rei solutæ*, sed *menstruo* ascribenda est. *Spiritus* enim *ardentes*, quodcunque fere in iis medicamentum dissolveris, sanguini *coagulum* inducunt. Quod tum aliàs, tum re ipsâ probari potest. *Spiritus* quippe *vini simplex* coagulum multò fortiùs intulit, quàm *tinctura* quævis eodem *spiritu* extracta; ideo etiam pro *variâ rerum* in eo solutarum indole diversa est *concretio*; levior scilicet, si adjiciatur medica-

mentum attenuans, quale est *sal armoniacus*,
opium, *crocus*, & *aroma* quodvis. Ita ex ex-
 perimentis constat, à *potestat. succini*, *sale vo-*
latili oleoso, *spir. vin. camphorato*, *tinctur.*
opii cum sp. vin. camphorato, *tinctur. croci*
 admixtis, sanguinem imbecillius concrefcere; à
tincturâ coccineâ, propter *aromatum* virtu-
 tem, vix quicquam *coaguli* fufcipere. Pari modo
serum à *tincturâ succini simpl.* fortiter *con-*
cretum est; ab eâdem *tincturâ*, cui *sal armo-*
niacus adjectus est, folummodo turbidius evafit.
 Cujus quidem varietatis hæc est ratio, quòd *at-*
tenuantibus infufis impeditur, aut faltem immi-
 nuitur ea, quæ à *spiritu vini* femper inducitur,
concretio. Hæc quippe remedia, quorum *tin-*
cturas cum *spiritu vini* extractas recenfuimus,
 vi *attenuatrice* instructa effe facilè fentiet, qui
 ea aliis *menstruis* accommodârit. Ita *opium*,
 five *aquâ* five *vino* diffolutum, sanguinem po-
 tenter *attenuat*, uti fati probat *laudanum liq.*
Syd. & panacéa D. Jones; cùm tamen *sp. vin.*
 extractum, cohærentiam minùs prohibeat. Pa-
 riter *cortex peruvianus*, *spiritu vini* in *tin-*
cturam redactus, sanguinem fati fortiter *coa-*
gulat; idem interim *aquæ* incoctus, præ cæte-
 ris attenuantibus sanguinis *raritatem* promo-
 vet. Quanquam verò *tincturis* hifce cum *sp.*
vini extractis minimè *attenuetur* fanguis, eæ
 tamen jure optimo inter *emmenagoga* recen-
 fentur; nam ut nihil dicam de rebus iis, unde
 educitur *tinctura*, ipfe *sp. vini* eas in fe con-
 tinet particulas, quæ in *spiritus animales* fa-
 cilè migrare poffunt; quemadmodum fati o-
 ftendit

stendit repentina illa assumptis, hujusmodi *spiritibus*, virium resectio. Spiritibus verò in cor uberiùs profluentibus, inducitur illa sanguini *rarescentia*, quam ad *ciendos menses* satis instructam esse jam paulò antè monstravimus. Ita ut hujusmodi *tincturæ*, *spiritu vini* elicitaë, mensibus ciendis profint, cùm à *vasis* præduris nimiùmque renitentibus ortum duxerit suppressio. Sin à *sanguinis* vitio inhibeantur menses, ita ut in *attenuandis* humoribus unicè consistat curatio, *tincturis* hisce *emmenagogis* alia longè aptiora videntur esse *menstrua*, putà *aqua* aut *vinum*, quàm *spiritus ardentis*.

III. *Emmenagogis* sanguinis cohærentiam dimoveri & *attenuari*, indicat ipsorum cum *syr. violarum* commixtio. Cujus argumenti ratio inde deducitur, quòd in confesso sit, quicquid ferè *syrupo violarum* colorem *viridem* aut *viridi* affinem conciliat, id inter *alkalica* referri debere*. *Alkalicorum* verò eas esse vires fatentur omnes, quæ *coagulum* sanguinis *resolvant*. Igitur utrùm *emmenagoga* sint *alkalica*, seu quod idem est *attenuantia*, experimentis innotescet.

Syrup. violarum commixt.

1. Cum *ol. succini*—Color subviridis.

2. Cum *chalybe in aceto solut.* Viridis, sed obscurus admodum color. Eadem præbuit *chalybis cum sulph. pp.* tum in *aceto*, tum in *spiritu nitri* solutio; eadem etiam, *tinctura martis* cum *sale armoniaco* præparata.

3. Cum *chalybe in spir. salis solut.* Coloris

* Boyle de Color. p. 3. 98.

nulla mutatio, nisi quæ à solâ commixtione provenerit.

4. Cum *chalybe in sp. salis armon. solut.* Viriditas nitidissima. Eadem exhibuit *tinctura tartari, & metallorum, potestat. succini.*

5. Cum *chalybe in aq. fontan. solut.* Color aliquantùm virescens.

6. Cum *spir. sal. armon. succinat.* Color inter viridem & subfuscum medius.

7. Cum *spir. sal. armon. cum calce vivâ pp.* Viriditas, qualis in stagno, aut palude observatur.

8. Cum *spir. sal. armon. cum sale tartari pp.* Color ad saturitatem viridis, & pellucens Idem præbuit *sp. C. C. & tinct. Lower.*

9. Cum *cupro in spir. sal. armon. solut.* Viriditas, qualem exhibet ampulla vitrea.

10. Cum *tincturâ succini cum sal. armon. pp.* Viriditas paulò imbecillior. Eadem exhibuit *sp. lavend. comp.*

11. Cum *panacéâ opii liq.* Color ad viridem accedens.

12. Cum *tinctur. antimonii.* Color *tincturæ* in aqueum conversus. Idem etiam cum *tincturâ corticis peruviani, castorei, jalapii* apparuit.

13. Cum *elix. pp. cum sale volatili pp.* Color viridi appropinquans, sed obscurus paululùm.

14. Cum *spiritu vini.* Nulla ferè coloris mutatio. Pariter etiam cum *spir. succini, & cochleariæ.*

15. Cum *spir. tartari.* Color viridis quidem, sed omnium maximè imbecillis.

16. Cum *sale volat. oleoso.* Viriditas herbacea.

bacea. Idem præbuit *sal tartari*; huic cum affusus esset *sp. vitrioli*, orta est ebullitio, & color rubicundus.

17. Cum *testis ostreorum* in *aq. forti solut.* Color ex pallido & viridi compositus.

Ita colorem *syrupi cœruleum* in *viridem* commutant *emmenagoga*; ex quibus nonnulla eâ virtute pollent, ut *acidorum* vim omnem redundant, nonnunquam etiam & planè funerent. Ita *chalybs* in *spiritu salis* solutus *rubrum* colorem destruit, qui aliàs à *spiritu salis syrup. viol.* commixto induci solet: idem *chalybs* in *spiritu nitri* dissolutus, non modò *rubedinem*, quam *syrupo spiritus nitri* largitur, extinguit, sed & *viriditatem* evocat. Pari modo *testæ ostreorum aquæ fortis* aculeos ita habetant, ut quemadmodum docet experimentum, non *purpureus*, sed *virescens* oriatur color. Eodem modo dignosci possunt *alkalica*, si affundatur *sublimat. corrosiv.* solutio: ex hâc enim cum *alkaliciis* commixtâ colorem oriri *subflavum* docent experimenta *Tornefortii*.

IV. *Vim emmenagogorum attenuatricem* declarant *injectiones in vivo animali per syringa institutæ*: ita ut si qui sint fidei nimis religiosæ, quibus priorum experimentorum ratio minùs satisfecerit, eos hujusce *autopsia* coarquat. Horum quidem experimentorum historiam non minutè descriptam, sed quantum ad hoc argumentum sufficiat, perstrictam damus.

1. Igitur in venam canis *jugalarem* injectæ sunt *panacæ opii liq.* ℥ 2 ℥. Intra quatuor

° Pref. Histoire des Plantes environs de Paris.

horæ minuta animal mortuum est; artubus diu post mortem minimè rigescentibus. Apertis *venâ cavâ, & aortâ descendente* effluxit sanguis tenuis admodum, & rutilus; pulmones sanguine turgido rubescebant. In corde summus sanguinis fluor. Cujus quidem *ventriculi* coagulo omni ita *immunes* erant, quasi *aquâ calidâ* essent eluti.

2. Alteri itidem cani propinatae sunt *laudan. Lond.* in *aq. cinn.* solut. ʒ6. Brevi tempore ingruebat tremor & spasmus, deinde immanis oborta est salivatio. Post horæ quadrantem canis obiit. Aperto cadavere, in ventriculo & intestinis reperta est chylosa materia, *laudano* intimè mista & intincta. Arteriae, uti & venae omnes, insigniter distentae sunt; sanguis in universo corpore, supra quàm credibile est, tenuis, & rarus.

3. In venam canis *jugularem* per *syringa* immisi *sp. vin.* ʒ2. Cadavere post horæ semiquadrantem aperto, sanguis in venis & arteriis omnibus in grumos fortiter concretus est; quæ tamen sanguinis concretio in cordis ventriculis erat compactior. Hanc à *spiritu vini coagulandi* vim observat *Bohnius*; cuius ideò usum *externum* ad hæmorrhagiam sistendam haud infeliciter tentavit^a.

Ad eundem modum injectæ sunt *tincturæ sp. vin.* extractæ, *croci* nempe, *castorei*, *spec. diambræ*, *myrrh.* &c. à quibus quidem omnibus sanguini inducta est concretio, pro *tincturæ* genio diversa. Eadem quippe à *tincturis* hisce

^a *Act. Lips. Ann.* 1683. p. 154.

infusis exorta sunt *phænomena*, quæ suprâ, iisdem sanguine admixtis, recensuimus.

4. Venæ canis *jugulari* leniter immiffæ sunt *spir. sal. armon.* cum *calce vivâ pp.* circiter ʒ6. Post horæ quadrantem, tremoribus per univèrsum corpus spasmodicis, tendinumque subsultibus correptus est. Apertâ primò venâ *crurali*, deinde *jugulari*, effluxit sanguis liquidissimus, odore spiritûs urinosi foetus: bullis etiam aëris refertus. Durante injectione, cor frequenter admodum, & fortiter se contraxit. Injèctâ iterum *spir. sal. armon.* ʒʒ, intra minuta aliquot mortuus est canis. Aperto thorace, pulmones rubicundi admodum, & quasi inflammati: in arteriis venisque omnibus, uti & corde, sanguis admodum tenuis, & rarefactus. In solo *venæ cavæ descendèntis* trunco, ab hepate usque ad cor, reperiuntur est spissus, & compactus; qualis, cum extra vasa missus paulisper refrixerit. Quæ quidem crassitudo sine dubio inde provenit, quòd dum spiritus à *jugulari* in *auriculam* cordis *dextram* continuò protrusus sit, sanguis in *venâ cavâ descendente*, non potuerit in cor deduci; ibique adèd cohibitus, & stagnans crassitatem istam contraxerit. Atque hoc semper ferè accidit, si instituatur per *jugularem* injectione.

5. In venam canis *jugularem* injecta est *corticis peruviani decoctio* fortis ad ʒ1ʒ. Post horæ quadrantem canis validâ & crebrâ cordis pulsatione, deinde spasmis frequentibus correptus est. Injèctâ ulterius ʒʒ, obiit tetanodes.

tanodes. Sectâ post mortem venâ *crurali* & *axillari*, exiit sanguis rutilans & liquefcens. Postero die, apertus est thorax; pulmones rubicundi admodum, & turgentes; sanguis in *dextro* cordis *ventriculo* plurimum accumulatus, & proinde compactus; in *sinistro* tamen paucus, isque satis fluidus. Pariter è *venâ portâ*, & *jugulari*, liquidus effluxit, & ultra naturalem statum rarus.

6. Cani propinatae sunt hor. 9. Mat. *tinctur. chalybeat. Lower.* ̄32. Nulla ferè mutatio, nisi quòd tanquam ebrius titubaret. Hor. 12. dati sunt morfuli ex butyro & *chalyb. cum sulph. pp.* ̄31. qui etiam hor. 3. Pom. repetebantur. Hor. 6. Injecta est in jugularem *tinctura prædicta* ad ̄32. Mox expiratio fortis, cordis labor & pulsatio vehementissima; quæ ad horam ferè perstitit. Aperto post mortem abdomine, diu duravit motus intestinorum peristalticus. In ventriculo & intestinis omnibus reperta est massa *chalybeata*; quorum interna tunica colore ferrugineo tineta. Vasa omnia sanguinea, uti & lactea, multum distenta. Sectâ venâ *iliacâ*, exiit qualis ex vivo animali, liquidus cruor: idem ex corde vulnerato cum impetu quodam profiluit, intense rarus & rubicundus. Hor. 12. In corde & canalibus appensis multum sanguinis adhuc floridi innatabat, minùs tamen, quàm in priore experimento, liquefcens.

7. A cane devorata est *sublimat. corrosiv.* ̄31. Intra horæ quadrantem, vomitus invasit & spasmus enormis; deinde post horam elapsam, super-

superveniente catharsi, interiit canis. Aperto abdomine, viscera omnia rubescentia admodum, multis etiam in locis inflammata: plurimum sanguinis circa pancreas extra vasa effusi; ita ut glandulæ distinctæ, & quasi distinctæ cernerentur. Canales ita distenti, ut oculis se exhiberent etiam ea, quæ per tunicas arteriarum & venarum reptant, vascula. Renes uti & lien, sanguine liquido repleti. Thorace inspecto, pulmones turgidi & rubicundi; in corde plurimum sanguinis fluidi, & coagulo prorsus immunis, diffluebat. Ita etiam ex arteriis, & venis omnibus liquidissimus exiit sanguis.

Hoc experimento facilè innotescit egregia illa vis, quam in attenuando sanguine exerit *mercurius*. Reliqua quippe quæ *sublimat. corrosiv.* constituunt corpora, viz. *sal communis, vitriolum, & nitrum*, sanguinem fortiter coagulant: quòd si iis admixtus *mercurius* sanguinis non modò coagulum omne tollat, sed raritatem etiam intendat, vehementiùs certè humores resolvat, si sine salibus istis acidis per se exhibeatur. Itaq; *calomelas*, quem major ingreditur *mercurii* proportio, sanguinem adhuc intensiùs attenuat. Idem de *mercurio* observat vir in *experimentalì anatomia* fidus & diligens *Wepferus*^a; uti etiam de *belleboro albo, hyoscyamo, amygdalis amaris, &c.*

Ad hunc modum de *emmenagogis primariis* instituta sunt experimenta: plura adjicere tum argumento esset minùs necessarium, tum lectori nimis molestum.

^a *Cicut. Aquat.*

Ita compage sanguinis five *rarefactâ* five *attenuatâ*, momentum ipsius intendunt *emmenagoga*. Dantur & nonnulla, quæ proprio etiam momento instructa, menses provocant. Ex quibus præcipua sunt *hydrargyrum* & *chalybs*. Cùm enim ea sit *hydrargyri gravitas*, ut globulis sanguineis pondere plusquam *decies* præpolleat, eâdem ratione *hydrargyri momentum* eo, quod *sanguis* obtinet, erit validius: unde sanguis assumpto *hydrargyro* impetum fortio-rem nactus, tum humores lentos per *obstructa capillaria* faciliùs protrudet, tum vehementiùs in *uterina vasa* impinget: in quibus quidem efficiendis versatur omnis *emmenagogorum* virtus. Neque hoc impetu solùm pollet *hydrargyrum*, sed partium tum *gravitate* tum *tenuitate* cohærentiam sanguinis ita diffringit & segregat, ut humoribus plurimùm *attenuatis* major fiat spirituum secretio, & vis cordis fortior; unde & *velocitatis* ratione, adhibitis *mercurialibus*, increscit sanguinis *momentum*. Hæc satis confirmat *salivatio*; in quâ pulsus ita *frequens* & *validus* observatur, ut ad *febrilem* penè accedat. Etiam peractâ *salivatione*, sanguinem *tenuem* admodum & *rarum* relinqui, testatur experientia. Itaque restrictis mensibus nunquam feliciùs succurritur, quàm cùm *alterantibus* per vices interposita sint purgantia *mercurialia*. Etiam continuum *æthiopsis mineralis* usum non modò tutum, sed & efficacem semper comperi; qui cæteris ex *mercurio* præparatis ideo solùm postponi solet, quia sit omnium facillimè parabilis. Ita

se perpetuò habet *hydrargyri* operatio ; quæ utcunque constans sit, minimè tamen vetat, quin & aliis etiam viribus instrui possit *hydrargyrum* : quippe non modò *obstructa vasa* aperit, sed & *acidorum aculeos* æquè constanter retundit.

Chalybs etiam vi *momenti* sui vasa potenter aperit ; quippe qui corpus valdè ponderosum sit, licèt *dimidiatam* tantùm *hydrargyri gravitatem* fortitus sit. Humores etiam *attenuat*, uti ex experimentis & effectibus constat, unde & alio nomine mensibus ciendis prodest. Ex iis præterea est *chalybs*, quæ spiritibus quasi cognata esse diximus, in eosque mutari facilia ; quod satis ostendit *pulsus, chalybeatorum* usu vehementer *increbrescens*. Ita *triplici* modo ad menses provocandos conducit *chalybs* ; ex quibus quidem operandi principiis deduci possunt omnia ea, quæ *chalybs* excitare solet, *phenomena*. Ex. gr. hinc facilè innotescit, quomodo, uti vulgò fertur, & vasa obstructa *aperiat*, & nimis laxa *astringat* : quæ quidem in agendo vires plerisque non *contrariæ* modò, sed & *inexplicabiles* videntur. Nemini quippe obscurum esse arbitror *chalybem* tum *gravitatis* suæ *momento*, tum attenuandi vi, obstructa vasa posse *aperire* ; hinc enim sanguinis lentescentis, unde oritur *obstructio*, cohærentiam tollit ; inde humores impetu quodam per *capillaria* propellit. Vasis igitur obstructione liberatis, eorum latera *astringi*, sive contrahi necesse est. Fibræ enim quæ, dum sanguis stagnaret, *relaxatæ* sunt, nunc, remoto omni obsta-

obstaculo vim suam naturalem exercent, h. e. *Elasticitate* forti sese *tono* suo restitunt, & statum *contractilem* recuperant; unde & *astringi* perhibentur. Et *tonum* quidem roborat *chalybs*, non modò quia vasa obstructione expediat, sed quia spiritus etiam, uti dictum est, uberiùs sufficiat; à quibus pendet omnis fibrarum *contractio*.

Perlustratis *emmenagogis*, sub examen revocanda sunt *astringentia*. Quorum virtus, cùm non modò in *fibris vellicandis* & contrahendis, sed & in *humoribus coagulandis* increffandisq; sita sit, ad hunc modum *menses* immodicos *restringere* posse concipitur. Sanguinis quippe particulis condensatis, & arctiùs inter se cohærentibus, imminuitur *velocitas*; non modò quia parcior fiat spirituum secretio, sed quia ea sit humorum resistentia, ut difficiliùs à corde protrudi queant. *Velocitate* verò languente, ita deficit sanguinis *momentum*, ut canales minùs jam distrahat, eorumq; viribus contrariis impar evadat. Ita vi sanguinis debilitatâ, *tonum* suum recolligunt, & coalescunt vasa. Quem tamen si minùs rite recuperent, paululumque adhuc dehiscant, non ideo tamen persistit *fluxus*. Globuli enim sanguinei, cùm compactiores sint, & mole admodum excrescant, vasorum rimis ita tandem adhærescunt, ut hiatus omnem quasi cuneo quodam infarciant, & occludant. Has *astringentium* esse virtutes probabimus eodem ratiocinandi modo, quo in *emmenagogis* explicandis usi sumus. Loci igitur argumentorum proferentur quatuor, *remediorum*

mediorum scilicet, 1. *Effectus sensibiles*. 2. *Cum sanguine adhuc tepente*, & 3. *Cum syrupo violarum commixtio*: 4. *Injectiones in vivo animali per syringa instituta*.

1. *Astringentium* operationem indicat *duplex* potissimum *effectus sensibilis*; quorum alter *vellicandi*, alter etiam *coagulandi* vim declarat.

1. *Sapor subacidus, acerbus, austerus, stypticus*; quorum unus saltem in *astringentibus* omnibus reperitur. Ita subacido sapore pollent *plantago, anagallis, sal marinum, spiritus nitri, & salis dulcis*; acerbo, *herbæ acetosæ, acetum, sal tartari fixus, tartarus vitriolatus, spiritus sulphuris, nitri, salis, & vitrioli*: Austero & styptico, *alumen, vitriolum, cortex granatorum, tormentilla, bistorta, balauſtia, bolus armena &c.* Quod si medicamenta hæc *linguam* pungant admodum & vellicent, quidni etiam & in canales delata *fibras stimulent*, & in statum *contractilem* reducant? quam fanè *contrahendi* vim, cum *externè* adhibeantur *astringentia*, facile agnoscunt oculi.

2. *Pulsus depressus*; uti fit, si invaluerit usus *astringentium*. *Pulsus* verò *imminutio* indicat sanguinem, qui antea spatium satis amplum intra arterias occupabat, nunc in angustiis cogi, seu *concretione* quâdam inductâ arctius multò cohærescere; unde non modò parcior spirituum secretio, & proinde impetus cordis imbecillior, sed minor canalium distensio. Ita sæpe in *scorbuto calido*, adhibitis *astringentibus*, *remissior* observatur *pulsus*.

Eodem

Eodem modo sanguinem, *salivatione* peractâ nimis rarefcentem, incrassant & quasi compingunt, adeoque & *pulsum* deprimunt *astringentia*.

II. Humores *astringentibus* coagulari, & concrefcere, ostendit ipforum cum *sanguine*, & *sero* commixtio. Feb. 12. *Sanguini* igitur *canis arterioso* admixta sunt sequentia;

1. *Spiritus nitri dulc.* Sanguis illico nigredinem contraxit, & in massam admodum ipissam abiit. Feb. 13. Nigredo & crassities major.

2. *Spir. salis dul.* Color admodum fuscus. Compages crassa quidem, sed non æquè ac cum *spir. nitr. dulc.* concrefcens.

3. *Spir. nitr. bezoartic.* Citò & fortiter coagulabatur sanguis. Massa instar sanguinis putridi concreta. Feb. 13. Perpusilla pars tenuis adhuc, sed subfusca.

4. *Oleum vitrioli.* Subiit statim cum *fermentatione* concretio. Color ad nigredinem accessit. Feb. 13. Coagulum minùs fortè, quàm in cæteris. Serum quippe separatum est.

5. *Spir. nitri.* Fermentescebat, & coagulatus est sanguis. Colorem induit subfuscum. Feb. 13. Supernatabat plurimum feri leuiusculè concreti.

6. *Aqua fortis.* Fermentatio & coagulatio satis valida. Color subfusco affinis. Feb. 13. Massa nigra, spissa, & in grumos concreta. Serosa tamen pars minùs, quàm cum *spiritu nitri*, crassescens. Eadem ferè exhibuit *bi-stortæ* succus.

7. *Spir.*

7. *Spir. salis.* Color multò magis, quàm cum *spir. salis dulcis*, nigrescens. Massa ad *syrupi* crassitiem accessit. Feb. 13. Eadem exhibuit.

8. *Spir. vitrioli philosoph.* Orta est fermentatio. Coagulum erat coloris cinerei.

9. *Acetum destillatum.* Coagulum levissimum. Color, quàm in sanguine puro, obscurior. Feb. 13. Coagulum fortius, & ad nigredinem propiùs accedens.

10. *Tinctura antiphthisica.* Massa ferè omnis in grumos concreta. Color fatis obscurus. Feb. 13. Eadem phænomena.

11. *Spir. vitriol.* Massa spissa admodum, & quoad colorem quasi limosa.

12. *Balsam. Gilead.* Sanguis inspissatus valde, & quasi in putridum conversus.

13. *Sal. chalyb.* Coagulabatur sanguis, aliquà tamen ex parte adhuc fluidus. Eadem omnino præbuit *sal vitriol.*

14. *Sacchar. saturn.* Concretio mediocris; color tamen fatis vividus.

15. *Sal prunell.* Massa aliquatenus grumescens.

16. *Succus alchimilla.* Præcipitata est massa nigra, & grumescens; reliqua pars fatis fluida.

Cum sero etiam sanguinis *humani* instituta sunt *experimenta* sequentia: cui admistum fuit,

1. *Decoctum corticis granatorum.* Serum aliquantò concretius. Eadem exhibuit *tormentilla*, & *bistortæ decoct.*

2. *Tinctura corallii.* Coagulabatur serum.

3. *Spir. salis.* Seri portiuncula concreta ; reliquum tenue, & liquefcens.

4. *Spir. nitri.* Coagulum forte. Seri tamen dimidia pars fluida permansit. Idem præbuit *spir. nitri bezoartic.*

5. *Oleum vitrioli.* In fundo subsedit coagulum. Liquoris maxima pars haudquaquam concreta.

6. *Spir. nitri dulc.* Nulla mutatio, nisi quòd ferum albesceret.

7. *Spir. salis dulc.* Coagulabatur ferum ; aliquâ tamen ex parte adhuc liquefcens.

8. *Tinctura antiphthifical.* Serum turbidius factum, aliquatenus etiam concretum.

9. *Aqua fortis.* Coagulum albescens. Idem à *spir. vitrioli philosoph.* admixto.

10. *Aqua styptica.* Fortiffimè concrevit ferum.

11. *Tinct. terræ japonicæ.* Coagulum rubrum.

12. *Solutio salis in aq. com.* Massa concreta coloris albi. Idem exhibuit *nitri in aquâ solutio.*

Hifce experimentis elucet ratio, quare *astringentia*, qualia funt omnia ex *nitro* præcipuè & *sale* elicita, *diuresin* promoveant, cum enim sanguinem ita *coagulent*, ut magnam interea *seri* partem intactam relinquunt, fit ut, *coagulo* hoc globulis sanguineis inducto, faciliùs ab iis secedat, perque *renes* tranfeat latex *serofus*. Pariter ac *lacti* si ab *acidis* inferatur *coagulum*, partes *serosæ*, quæ priùs cum *oleosis* promiscuè temperatæ funt, factò divortio discedunt, & separantur.

III. *Astringentia* si *syrupo violarum* admixta sint, ulteriùs suas *coagulandi* vires indicabunt. Uti enim ea, quæ *syrupo violarum* colorem *viridem* inducunt, in *alkaliorum* classem reponi debent; ita etiam quicquid *rubrum* communicat^a, *acidis* annumerandum est. Idem affusis *acidis* emergit color, si loco *syr. violarum* adhibeatur *heliotropii* solutio, seu charta tincturâ *heliotropii cœruleâ* fucata, quemadmodum ostendit D. *Tournefort*^b. *Acidis* verò admixtis humores *concreescere* satis ostendunt ea, quæ jam instituimus, experimenta. *Astringentibus* igitur *syrupo violarum* commixtis, ad hunc modum exorti sunt colores.

1. *Ol. vitrioli*. Color ruber, & rutilus.
2. *Spir. nitri*. Color adhuc splendidior.
3. *Spir. salis*. Rubedo adhuc rutilantior, & veluti ignea. Idem exhibuit *sp. salis dulc.*
4. *Spir. nitri bezoart.* Color ruber, sed non æquè ac in prioribus saturatus.
5. *Spir. nitri dulc.* Color purpureus. Idem præbuit *tartar. vitriolat.*
6. *Sp. vitrioli philosoph.* Color, qualis in *caryophyllo sylvestri*. Idem exhibuit *hydrargyri in aq. fort. solutio.*
7. *Aq. fort.* Color primò pallido-purpureus & pellucens, deinde ruberrimus. A *tartaro* autem in *aquâ forti* soluto, emergit colore legans, qualis in *cerasis* conspicitur.
8. *Tinctura antiphthistica.* Color paulùm à cœruleo abhorrentior.

^a Boyle de color. p. 3, 95. ^b Pref. Historie des plantes environs de Paris.

9. *Æris in spiritu salis solut.* Color ruber, languidus tamen, & obscurus.

10. *Æris in aquâ fort. solut.* Color flavus, sed obscurus.

11. *Plumbi in ol. vitrioli solut.* Rubedo languidior.

12. *Plumbi in aq. forti solut.* Rubedo satis rutila.

13. *Spir. vitriol.* Color coccineus. Eadem exhibuit *elix. vitriol. Mynsicht.*

Ita cæteris *astringentibus* admixtis, si modò aliqua fuerit in *syrupo* coloris mutatio, ea omnis ad *rubedinem* inclinavit. *Rubris* mixturis instillatæ guttulæ aliquot *olei tartar. per deliquium fermentationem* excitabant; quâ peractâ, color in *viridem* mutatus est: qui quidem tantò erat *viridior*, quantò ante *oleum tartari* admistum intensior fuerat *rubedo*. Ita *oleo vitrioli* cum *ol. corn. cervi, laven- dulæ, carui, caryophylli, nucis moschatæ, ro- ris marini* &c. admixto, color emicuit *rubicundus*, & sanguineus: qui tamen affuso *oleo tartari* aut *tartaro* in *acet. solut.* rubescere omnino desinit, licèt interim ad *viriditatem* parum accedens.

IV. *Astringentibus* sanguinem coagulari docent, quæ per *syringa* fiunt, experimenta.

I. In venam canis jugularem immissa est *Spirit. vitriol. ℥jss.* Brevi tempore ingruebat dyspnœa; deinde pulmonibus admodum laborantibus, canis obiit spasmodicus. In venis sanguis spissatus admodum & concretus, ita tamen inæqualiter, ut multum feri coagulo
immune

immune videretur. Cordis ventriculos infarcebat massa grumescens, & quasi polyposa.

In pulmonibus stagnavit sanguis ater, qui etiam lobis nonnullis extra vasa effusus adhæsit. Idem *vitrioli spiritus* cani, qui paulò antè *laudani liq.* ℥2 assumpserat, infusus ita humorum crasin immutavit, ut, qui modò ex incisâ venâ liquidissimus effluerat, jam in grumos concretus esset sanguis.

Eadem exhibuit *spir. nitri & salis*, nisi quòd grumi minùs inter se cohæserint.

2. In venam canis minuscule *jugularem* injeci *sacchar. saturni* in *decocto cortic. granat.* ℥ss. soluti, ℞2. Extemplo ferè cor languescere cœpit, ita ut admotâ ad thoracem manu pulsatio illius vix percipi posset: respiratio gravis & anhelosa; deinde spasimis ingruentibus, intra horæ minuta quinque successit mors. Apertâ venâ *jugulari & iliacâ*, exiit sanguis partim fluidus, partim grumescens tenaciterque concretus: supernatabat quasi oleum quoddam, quod & *saccharum saturni* sapore referebat. In aortâ sanguis ita concrevit, ut penè fibrosus evaderet. Pulmones coagulato sanguine repleti, nonnullis etiam in locis inflammati. In corde sanguis universus ita concretus est, ut ventriculorum columnis quasi adnasci videretur.

3. In venam canis grandiusculi *jugularem* injecta est, duplici vice, *sanguinis dracon.* in *aquâ tepidâ* soluti ℥ss. Cordis *systole*, & respiratio frequentior; deinde sine ullo gravi symptomate, canis subito concidebat mortuus.

Mox muscoli thoracis ita spasmis correpti sunt, ut tum ad visum tum ad tactum se per vices constringere, & remittere deprehenderentur. Apertâ venâ versùs caput *jugulari*, exiit sanguis spumofus, & dimidiâ ferè parte in grumos separatus. Sectâ *iliacâ*, totus in massam solidam concrevit, & portiunculæ illius admodum compactæ sunt, quasi cera fuisset injecta, venæ cavitati accuratè respondens, vascula tenuia, quæ renum tunicam externam percurrunt, oculis valde conspicua. Pulmones concreto sanguine intumescebant. Cor sanguine supra modum distentum est: qui quidem in dextro ventriculo *gelatinæ* crassitiem æquabat, in sinistro firmitus concrevit.

4. In *jugularem* canis injecti *aceti* ℥2. Cordis contractio paulò frequentior; quoad cætera, nulla in cane mutatio. Deinde iteratâ injectione ad uncias itidem duas, respiratio difficilis, & laboriosa: quæ tamen, sectâ arteriâ *iliacâ* (unde exiit plurimum sanguinis nonnihil grumosi) ad consuetam normam redacta est. Injectis tandem ulterius ℥2, expiravit animal. Apertâ venâ *iliacâ*, erupit sanguis crassissimus, & in massam densatus: in venis cæteris, uti & arteriis, leviter concretus; in corde, præsertim in sinistro ventriculo, aliquâ ex parte fortiter coagulatus.

5. Venæ canis *jugulari* immissa est *spir. salis dulc.* ℥ss. unde respiratio fortis & sublimis, quæ tandem ita sensim defecit, ut nondum peractâ injectione canis moreretur. Musculis abdominis transversim sectis, subsiluerunt fibræ.

bræ. In arteriis venisque omnibus, sanguis admodum concretus. Pulmones inflammati. Cor sanguine oppletum, & quasi tensum. Ex ventriculo dextro extractæ sunt sanguinis ʒ4. instar *gelatinæ* concreti. In sinistro, sanguis paucus, sed fortiter coagulatus: ex aortâ prodiit quasi polypofus. Eadem prorsus exhibuit in altero cane *ol. terebinth.* ʒ1. nisi quòd pulmones fuerint coloris atro-rubei, qualis in *je-core* frixo conspicitur.

6. In *jugularem* canis injecta est *sal. chalyb.* in *aquæ* ʒ2 soluti, ʒʒ. Post palpitationem cordis & dyspnœam vehementissimam, obiit animal. Sectâ venâ iliacâ, sanguis non concretus quidem, sed nonnihil grumescens. Ita in corde & aortâ sanguis coagulum quoddam contraxit, licèt, quàm in cæteris experimentis, imbecillius.

Ut verò clariùs adhuc elucescant, quas *emmenagogis* & *astringentibus* ascripsimus, virtutes, *attenuandi* scilicet & *coagulandi*, non abs re erit experimenta depromere, unde satis constabit ea, modo à nobis exposito, in se invicem reciprocè operari medicamenta. Igitur iis *mixturis*, quas ex *sanguine* & *emmenagogis* confecimus *sect. 2.*, affusa sunt hujusmodi *astringentia*.

1. *Mixturæ* (ex *sanguine* & *sp. salis armon.*) affusus est *spiritus salis*. Massa omnis coagulata. Color, instar cœni, lutulentus.

2. *Mixtur.* (ex *sang.* & *decoct. sabin.*) *spir. nitri bezoartic.* Liquoris pars dimidia in massam duriusculam concrevit; reliqua fluida

quidem permansit: videbatur verò nihil aliud esse, nisi *spiritus* affusi quædam portio, quæ post coagulationem superfuit.

3. *Mixtur.* (ex *sang.* & *laudan. liq. Syd.*) *ol. vitrioli.* in massam admodum spissam evasit; color fuscus, & subobscurus.

4. *Mixtur.* (ex *sang.* & *panacéâ opii liq.*) *spir. salis.* Fortiter concrevit. Color atro-rubeus.

5. *Mixtur.* (ex *sang.* & *aq. rutæ*) *spir. salis dulc.* Liquor coagulatus, & in grumos concretus. Color pullus.

6. *Mixtur.* (ex *sang.* & *sp. sal. armon. succinat.*) *spir. salis.* Coorta est fermentatio. Liquor partim in grumos abiit, partim fluidus perstitit.

7. *Mixtur.* (ex *sang.* & *aq. absinth.*) *spir. salis.* Statim in coagulum nigerrimum concrevit.

8. *Mixtur.* (ex *sang.* & *sp. corn. cerv.*) *ol. vitrioli.* Fermentatio, & concretio satis valida.

9. *Mixtur.* (ex *sang.* & *marrhubii decoct.*) *spir. salis.* Idem exhibuit, ac mixtura prior cum *ol. vitrioli.*

Ad eandem normam *mixturis*, quas ex *sanguine* & *astringentibus* Sect. 2. composuimus, experimenti gratiâ, affusa sunt *emmenagoga*.

1. *Mixt.* (ex *sang.* & *spir. nitri dulc.*) *panacéâ opii liq.* Massa in fluorem denuo redacta est. Idem etiam effecit *panacéâ*.

2. *Mixt.* (ex *sang.* & *spir. nitri bezoart.*) affusa.

3. *Mixt.* (ex *sang.* & *oleo vitrioli*) *spir. sal. armon.*

Armon. Fermentescebat. Massa multò tenuior, quanquam de nigredine nihil amiserit.

4. *Mixt.* (ex *sang.* & *aquâ forti*) *aqua ruta.* Tota liquefcebat.

5. *Mixt.* (ex *sang.* & *spir. salis*) *panacœa opii.* Crassities penitus sublata est, & color floridus evasit.

6. *Mixt.* (ex *sang.* & *spir. vitrioli philosoph.*) *spir. salis armoniaci.* Compages admodum fluida. Color atro-rubeus.

7. *Mixt.* (*mixt.* ex *sang.* & *aceto destillato*) *sp. salis armon.* Texturæ raritas, & coloris vigor, qualis in sanguine naturali. Eadem quoque præbuit *spir. salis armoniaci.*

8. *Mixt.* (ex *sang.* & *tincturâ antiphthisic.*) admixtus.

Satis jam perspicuum esse arbitror, sanguinis *cobærentiam* ab *emmenagogis*, & *astringentibus* variè mutari; ab his scilicet *tenaciorem*, ab illis *variorem* fieri. In quâ quidem *cobærentiæ* mutatione consistit unicè, quantum ego concipio, omnis illa *alterantium* virtus; licèt gradibus ad sensum minimè expositis fiat iste in compages varias humorum transitus. *Cobærentiæ fluiditatisque* causas exponere, uti esset opus prolixum admodum & laboriosum, ita etiam meo instituto fatis alienum: ea quippe provincia ad *philosophos* potiùs pertinet; *medico* fatis est *proximas* causas posse animo concipere & complecti, *ultimas* rimari minimè necessarium.



TA tandem absoluta est hæc de *Mensum* naturâ, remediisq; disquisitio; in quâ sanè id mihi parum arrogo, non posse subtiliùs perveftigari *Menses*, aliis interim principiis esse minimè explicandos confifus. Quantum meus poterat philofophiæ modulus, *Theoriam* veram atque perfpicuam tradere fum aggreffus: cujus quidem fabrica fi anguftior fit, ifti tamen, quæ mihi fuppeteret, materiæ refpondet. Eos, qui eruditione *Mechanicâ* pleniùs imbuti funt, in quâ me ne quidem fatis mediocriter effe verfatum fateor, multa his poffe aftruere facilè fentio, non modò ad ornamentum operis, fed etiam firmitatem.

Erunt tamen fortaffe quamplurimi, qui quòd caufas morborum inveftigare, five non confuèffent, five non vellent, five non poffent, omnem
rerum

rerum medicarum *Theoriam* in *Praxi* prorsus inutilem existimabunt; nonnulli etiam periculofam arguent.

Fieri quidem potest, quod & nunquam evenisse non diffiteor, ut iisdemum *Praxis* haud ita feliciter cesserit, qui *Theoriam* multâ cum laude excoluerunt; dum in hanc totis viribus intenti, illam fortè neglexerint: ita enim alterius altera opem poscit, ut nemo de Medicinâ egregiè mereri queat, qui utramque non conjunxerit. Quid verò absurdius esse potest, quàm ut, quò meliùs morbum intellexerit medicus, eò infelicior fore censeatur in adhibendâ medicinâ? ut, qui in malæ valetudinis origine ita acutùm cernit, ad remedia rite applicanda ineptior videatur? Quasi impedimento esset uberior rerum cognitio; aut ille demum felicissimam medendi methodum instituat, qui, quare hæc potiùs quàm illa institui debeat, omnino nescit. Sanè si quis ad morbos tollendos præ cæteris instructior fit, is huic operi pleniùs satisfaciet, qui eorum

rum

rum fontes optimè nôrit, qui variam humorum, unde profluunt, indolem perspexerit; qui denique normam illam, quâ sanguinis crasin aut conservat aut vitiat natura, penitus investigârit. In eo enim præcipuè spectatur medici sagacitas, ut de *morbi* ingenio acutè judicet; *curationis* formulas describere, cujusvis ferè est in medicinâ operarii.

At morbis, inquit, feliciter etiam medentur, qui nullâ *Theoriâ* imbuti sunt, qui nec corporis fabricam, nec modum, quo intra corpus operantur remedia, intelligunt. Sed si quis horum inspectâ *Praxi* animadvertat, quàm pleraque importunè adhibentur, quàm multa, eaque inter se plurimùm diversa, ad nauseam usque porriguntur remedia, agnoscet multum iis gratiæ habere Pharmacopolas, parum interim debere ægrotos. Cùm enim nec morbi rationem, nec certam aliquam medendi methodum satis exploratam habeant, omnem ferè *materiam medicam* percurrunt,
 haud

haud ignari scilicet pluribus esse aggrediendum viis, ne una fortè minùs succedat. Qui verò ita in *Staticis* atque *Anatomiâ* versatus est, ut humani corporis penetralia intimè pernôrit, fluidi circulantis naturam & vires explorârit, dispiciet facilè quæ vera sit morbi indicatio, & qualis potissimùm adhiberi debeat medendi ratio: nullum huic dubium injicit varia illa pharmacorum supellex, quò minùs certa quædam ad rem suam aptissima deligat; & ordinem, quem in iis præcipiendis secuturus sit, secum multò antè constituat.

li quidem, qui in *Praxi* diu elaborârunt, experienciâ ita sunt instructi, ut morbis satis feliciter occurrant, quanquam *Rationalis Pharmaceutices* penitus ignari: neque id sanè mirum, cùm iidem quasi in orbem sæpius recurrant morbi. Quòd si novus aliquis morbus, nec à *Practico* antea visus exurgat, multùm hærebit vir experiens, & commentarios veteres frustra diu versabit, unde nihil lucis mutuari

tuari queat, quod ad recens hoc symptoma illustrandum traducat. Contrà qui morborum causas naturæque vim penitus inspexit, siquid insolitum acciderit, id non tanquam aliquid monstri suspiciet; sed ideâ illâ, quam de morbis in animo jam antè formatam & descriptam tenet, ad hanc rem accomodatâ, faciliùs intelliget, quænam sit istius mali origo, quænam adhiberi debeat curatio.

Etenim qui *Theoria* medicæ omnino rudis est, non tam ipsos morbos, quàm morborum *vocabula* distinguit; qui certè error, uti in medicis non rarò deprehenditur, ita medicinæ plurimùm nocet. In *Febre* v. gr. eadem sæpe reperiuntur symptomata, cùm morbi causa sit multiplex, & dissimillimus humorum status: alia enim ex *redundantiâ*, alia ex *rarescentiâ*, alia ex *lentore* sanguinis oritur *Febris*; ita ut medendi methodum postulet pro causarum varietate diversam. Accersitus verò iste quasi *nominalis* medicus, si morbum hunc

Febrem

Febrem dici debere judicat, [eandem curationis normam persequitur, quæcunque sit in symptomatum causâ diversitas : quam quidem qui insistit viam, si medetur, felix certè erit, sed in arte suâ haud nimium peritus. *Rationalis* verò medicus, non tam *appellationem* morbi, quàm *naturam* explorat ; in hoc præcipuè laborat, ut statum sanguinis accuratè perspiciat ; unde etiam non vana remediorum quærit indicia.

Aliud etiam est in quo deficit *Theoriae* expers *Præcticus*, viz. *remediorum applicatio*. Quia enim nec quo morbi oriuntur, nec quo in sanguinem agunt pharmaca, modum intelligit, morbis ea solùm adhibet remedia, quæ longâ experientiâ prodesse compererit. Cùm verò id potiùs in medicinâ desideretur, ut præstantissima quæque remedia aliis etiam morbis, ac vulgò solent, applicentur, quàm ut exquirantur nova ; defectum hunc solus tollet *Rationalis* medicus, qui tum morbi, tum medicamenti vires

4

adeò

adeò callet, ut utriusque ad se invicem habitudinem clarè perspiciat : ita novo quodam artificio ad multos alios morbos ea extendet remedia, quæ uni fortè aut alteri quasi *Specifica* fatis pro arbitrio dicavit usus.

Contra *Theoriam* acriter contendunt nonnulli, dicetque eam in morbis explicandis parum proficere, quia ad omnes accommodari minimè queat. Sed hoc certè est imperitè disputantis argumentum, quasi quòd non in omnibus morbis, ideo in nullis obtinere possit *Theoria*. Aliquid est eam tenus prodiisse ; in nonnullis fanè illustrandis ita feliciter processit, ut ulterius facilè progredi posse videatur, si ingenio par fuerit medicorum industria. Fatemur quidem hanc, qualem volumus, *Theoriam* in medicinâ parum prodesse, nisi frequens etiam accedat *Praxis* ; quæ tamen si hâc duce dirigatur, erroribus, quos aliàs frustra cavet, minùs erit obnoxia.

Hæc quidem omnia & nôrunt, & fecerunt *veteres* ; neque aliis æquè prin-

principiis morborum & medendi rationem illustrare posse arbitratur, *Prætorum* certè felicissimus, *Hippocrates*: igitur *Theffalo* suo, medicinæ studio, id præcipuè commendat, ut figurarum proprietates, & numerorum scientiam cognosceret; & disciplinæ isti, quæ illas edocet, & magnitudines quas-cunque metitur, multum studii adhiberet. Eos nempe fontes unicè agnoscit, unde vera fluere queat rerum medicarum cognitio. Atque hæc quidem elementa, ad quæ perdiscenda ita vehementer hortatur filium, ipsi penitus perspecta fuisse credibile est. Audiit enim, uti accepimus, & sectatus est *Democritum*, qui temporibus illis eam docuit philosophiam, quæ hodie dicitur *mechanica*; quæque ita parum recens est, quod vulgò fertur, ut sit omnium longè vetustissima. Hæc adeò institutus disciplinâ *Hippocrates*, naturam & observavit, & intellexit acutissimè: & quia naturæ sunt maximè consentaneæ, ideo præstantissimæ e-

* *Epist. ad Theffal.*

tiam habentur, quas de morbis con-
scripsit, historiæ. Itaque non leve
præsidium operi huic accessisse existi-
mo, quòd ubique ferè sententiæ meæ
vindicem & patronum adduxerim,
Hippocratem.



INDEX

INDEX RERUM.

<p>Astringentium effectus sensibiles 175 Cum sanguine commixtio 176 Itidem cum fero 177 Cum syrupo violarum commixtio 179 Injections 180 Astringentia interna an stimulo agant 138 Sanguinem coagulant 175 Quomodo menses sistunt 174 Pulsum deprimunt 175 Quomodo urinam moveant 178 Athletarum habitus periculosus 69 Attenuantia quomodo menses cient 155, 156 Quando adhibenda 157 Atrophia à mensibus nimis 134, 145 Quot modis fiat ib.</p>	<p style="text-align: right;">fes 35 Prægnantia voraciora 10.</p>
C	
<p>B</p> <p>Balnea menses retardant 64 Balnea ad suppressos menses 96 Balsamica in mensibus nimis adhibenda 139 Quo tempore ib. Quomodo operantur ib. Barba à suppressis mensibus 94 Bibaces hydropi obnoxii 78 Et apoplexiæ 89 Biliosus maturius fluunt menses 2 Et quare 42 Biliosum temperamentum quale ib. Bruta cur mensibus immunia 14, 27 Quomodo utero gerunt, cum non habeant men-</p>	<p>Cachexia à mensibus nimis 60, 181 Calida menses cient 158, 159 Calor quid 47, 130 Chalybs aliquando obstructions auget 151 Pulsum excitat 156, 158 Spiritus instaurat 173 Triplici modo menses cient ib. Quomodo fit deobstruens & astringens 174 Sanguinem attenuat 168 Camphoræ externè adhibitæ vis 122 Cantatrices mensibus immunes 19 Caput quare afficitur suppressis mensibus 86 Cardiaca pulsus excitant 158 menses cient ib. Cardiaca quomodo operantur 157 Cephalalgia à suppressis mensibus 85 A Suturis nimis arctis 86 Cephalalgia, instantibus mensibus 2, & quare 48 In virginibus frequentior ib. Non à sympathiâ 86 Chyli cruditas à plethorâ 48 A Lentore 18 Cachexiam parit 132 Coitus quomodo cient menses 60 Suppressionis menstruæ remedium ib. Colica à suppressis mensibus 80 Colorum experimenta 165, 179 Con-</p>

INDEX RERUM.

- | | |
|--|---|
| <p>Convulsio à repletione 91
 Quid ib.
 Ab inanitione 130
 Cauteria quomodo cient men-
 ses 107
 Convulsio à mensibus nimiis
 periculosa 131
 Corpus quando idem manet
 12
 Cortex peruvianus potenter
 attenuat 156, 158
 Cucurbita ad crura in suppressis
 mensibus 106
 Cucurbita ad mammas in
 mensibus nimiis 137
 Curvitas canalium quid effi-
 ciat 23, 24, 25
 Chlorosis à suppressis mensi-
 bus 49
 Crurum lassitudo quare à ple-
 thorâ. 49. in gravidis ib.</p> <p style="text-align: center;">D</p> <p>Desidia perspirationem immi-
 nuit 17
 Delirium quid 89
 Diaphoretica in mensibus ni-
 miis vix adhibenda 138
 Menses cient 159
 Sanguinem attenuant.
 148
 Quomodo lentorem au-
 geant 150
 Diaphoresis non est actio me-
 dicamenti primaria 148
 Ideo neque certa ib.
 A poris pendet 149
 Dyspnœa in suppressis men-
 sibus 81
 A vesiculis bronchialibus
 ib.
 A musculis thoracis 82
 Ab hypochondriis inflatis
 ib.
 Distensio vasorum in plethorâ
 70
 Dolor quare infantibus men-</p> | <p>struis ad coxas percipitur
 48
 Dolor capitis à suppressis men-
 sibus, & quare 15
 Pulsans 85. Gravedino-
 sus ib.
 Quare ad sinciput & oc-
 ciput 85</p> <p style="text-align: center;">E</p> <p>Emetica quando in suppressis
 mensibus adhibenda 109
 In fluxu nimio vitanda
 137
 Emmenagoga plethoram ex-
 citant 140
 Eodem modo agunt, licet
 menses non cient. 149
 Sanguinem attenuant
 155
 Quomodo menses cient
 156
 Nonnulla sanguinem ra-
 refaciunt ib.
 Emmenagoga pulsum exci-
 tant 158
 Pleraque alkalica 165
 Cum astringentibus mix-
 ta 183
 Emmenagogorum effectus
 sensibiles 157, 158, 159
 Cum sanguine commix-
 tio 159, 160
 Cum sero commixtio
 162
 Cum syrupo violarum
 commixtio 165
 Injections 167
 Emplastrum resolvens 121
 Evacuatio inhibita quomodo
 menses provocat 61
 Nimia quomodo retar-
 det 64
 Evacuatio additione minor,
 in plethorâ 12, 13
 Evacuationis additionisq; ea-
 dem proportio in brutis 14</p> <p style="text-align: center;">O 3</p> |
|--|---|

INDEX RERUM.

In foeminis impar	13,	Fomenta ad suppressos men-	
	14	fes	96
Evacuaciones sensibiles in se-		Purgationi praemittenda	97
nectute augentur	53		
Evacuationibus subitis & in-		Foetus materno sanguine nu-	
gentibus quomodo immi-		tritur	5, 7
nuuntur vires	129	Non per os solum	5
Experimenta cum sanguine		Foetus recentis pondus	7
	176	Foetus an menstruo sanguine	
Cum fero	177	alatur	
Cum syrupo viol.	179	Imbecillis, si gravidæ flu-	
Per injectiones	180	ant menses	54
Per mixturas	113	Fluidorum pressio qualis	21
Externa remedia in utroque		Fluor albus à suppressis men-	
suppressionis genere adhi-		libus	90
benda	96, 97	Ex glandulis uteri	ib.
In utroque fluxus nimii		Quando symptomaticus	ib.
genere	139	Mensibus erumpentibus	
Extremorum frigus à fluxu		cessat	ib.
nimio	130	A mensibus nimiiis	134
Quot modis	ib.	Fluxus menstruus quibus diu	
F		durat	2, 136
Febris quomodo ciet menses		Et quare	44
	59	Quibus citius termina-	3
Febris intermittens periodus		tur	
explicatur	40	Fluxus mensium nimius quot	
Paroxysmus varius	41	modis efficitur	127
Febres pleræque à plethorâ		Non ita familiaris ac sup-	
	62	pressio	ib.
Febriçula à mensibus instanti-		Periculosior tamen	ib.
bus	48	Et quare	128
A suppressis	75	In puerperium expertis	
Fermentum non est mensium		frequentior	135
causa	9, 10, 42	Fluxus nimii symptomata.	
Fermenta circulationi repug-		Causa	128
nant	9	ib.	
Fermenta nulla in visceribus		Fluxus nimius vel à vasorum	
	ib.	vel à sanguinis vitio	138
Neque in sanguine	ib.	Quando à vasis	ib.
Frigus quomodo menses re-		à sanguine	ib.
tardat	63	A virium imbecillitate ju-	
Frictiones ad suppressos men-		dicandus	135
ses quare adhibentur	106	In quibus sistendus	135,
Fibrarum durities plethoræ			136
causa	51	Fluxus nimii historiae	
			140

INDEX RERUM.

G

- Galeni de causis mensium sententia 4, 7, 11
 Glandulæ à suppressis mensibus oppletæ. 80 à frigore ib.
 Gravidis deficiunt menses 3
 Et quare 54
 Gravidæ à coitu abortiunt 60
 Graviditatis symptomata quomodo à suppressorum mensium symptomatis dignoscenda 125, 126
 Gravitas corporis à desidiâ 18
 A suppressis mensibus 80
 Gravitas pectoris à suppressis mensibus 81
 Gibbosi dyspnœæ obnoxii 82
 Globus ad fauces à suppressis mensibus 22
 Quare ib.
 Glutinantia in mensibus nimis adhibenda 139
 Gulosis diu fluunt menses 3
 & quare 44
 Gulosi hydropi obnoxii 78

H

- Hæmorrhagia à suppressis 92
 Præcipuè in virginibus 93
 Hæmoptoe à suppressis mensibus 88
 Hæmorrhoides incisæ callescunt 52
 Solvunt insaniam 90
 Hectica à mensibus nimis. 132
 Quot modis efficitur 133
 A dilatatis canalibus ib.
 A sanguine imminuto ib.
 Quando gravior 134
 Hydrops imminuit menses 65

A suppressis mensibus 77
 Ab aliis evacuationibus inhibitis 78

- A mensibus nimis 132
 Hysterica passio ciet menses.
 Spasmi species 90
 A suppressis mensibus ib.
 A fontanellis occlusis 92
 In viris 51, 92
 A mensibus nimis 130, 131
 Humida corpora minus perspirant 17
 Humidæ, suppressis mensibus, citius intumescunt 77
 Humidis menses copiosius fluunt 44, 136
 Humororum crasis ignota est causa cur accusentur medicamenta 154
 Humororum temperies à medico perspicienda 155

I

- Ictus major in curvis canalibus 23, 24, 25
 Fortior pressione 25
 Ictus magnitudo quomodo æstimanda ib.
 Infania quid 89
 A suppressis mensibus ib.
 Evacuantibus curatur 89 & 90
 Ischuria quomodo à vesicâ nimis distentâ 32

L

- Lac ab aquis frigidis vitiatur 65
 A suppressis mensibus 94
 Lactantibus menses deficiunt 3
 Et quare 54
 Macilentis fluunt 32
 Lacteorum oscula quid ad catharsin faciant 112

INDEX RERUM.

Lactis usus imminuit menses	54, 65	Qualis cum à vasis oriatur suppressio	ib.
Languor quare menstruis instantibus mulieres invadat	49	Qualis cum à sanguine	97
Lassitudo crurum unde	ib.	In fluxu mensium nimio	135
Lentor à frigore	63	Qualis cum à vasis oriatur fluxus	136
Menses suppressit	34	Qualis cum à sanguine	137
A plethorâ	70	Melancholicorum pulsus rarus	63
A motu cordis imminuto	71	Menses quando incipiunt, quando desinunt	I
Qualem pulsum efficiat	72	Et quare	51, 52
Plethoræ causa	73	In quibus maturius fluunt	2
A chylo crasso	79, 132	Mensium quantitas	13
Palpitationem efficit	85	Pro ratione ætatis diversa & quare	46, 50
A velocitate imminuta	132	Qualitas	I
Aliquando à diaphoreticis	150	Periodi	2
Lentor suppressit menses	34	Mensium causa finalis	47
Febris intermittens causa	40	Fœtus nutritio	5, 7
Lindani doctrina de venæ sectione examinata	103	Mensium causa efficiens	7
Lumborum dolor quomodo à plethorâ	48	Plethora	11, 36
Luna non est mensium causa	8, 42	Menses quâ vi evacuantur	22
		Quare per uterum	23, 24, 25, 26, 27
		Et ab utero & à vaginâ fluunt	21
		Ex capillaribus vasis	29
		In puellis perquam modici	50, 52
		Mensium suppressio non à plethorâ	33
		A lentore	34
		Per aliena loca eruptio	55
		Menses ad conceptum non necessarii	4, 35
		Ad concipiendum aptiores facit	45
		Post morbum chronicum suppressi	3, 45
		A quibus maturius cientur	58
		A quibus retardantur	62
			Menses

M

INDEX RERUM.

Menses critici	59	A suppressis mensibus	114
Quot modis imminuti	66	A terrore restincta	64
Quomodo à saphænæ		In pueris pubescentibus	51
sectione inhibiti	104,		
	105	Nutritio quid	134
Pallidi	115		
Mercurius lentorem tollit	108	O	
Purgantibus admiscenda	ib.	Obesi minùs sanguinei	31,
Attenuat sanguinem	172		44
Acida retundit	173	Obesis menses parcius fluunt	44
Quomodo menses ciet	172	Citiùs cessant	45
Mercurii gravitas	ib.	Obesæ plerumque steriles	ib.
Mœstitia quomodo menses		Obesis menses supprimuntur	
retardat	63	fine noxâ	ib.
Momentum sanguinis quo-		Objecta quomodo moveri	
modo augetur	21	videantur, immoto oculo	87
Augefûr in plethorâ	22	Occipitis dolor à suppressis	
Quando à venæ sectione		mensibus	86
augetur	96, 101	Et tumor	87
Motus violentus quomodo ci-		Odorata menses ciet	158
et menses	60	Opiata remittunt appetitum	49
Motus intestinus in sanguine		Vires instaurant	114
non datur	9	Quomodo adhibenda	ib.
Motûs imminutio in vasis ute-		Opium animum exhilarat	152
rinis	23	Vires instaurat	ib.
Motus rerum externarum		Calculus & foetum ex-	
quomodo percipitur	87	pellit	ib.
Mulieres concipiunt, etiam		Dolorem quomodo tollit	ib.
fine mensibus	4	Febrem intermittentem solvit	ib.
Mulieres viris imbecilliores	15	Singultum, vomitum, & hy-	
Humidiores	16	percatharsin sistit	ib.
Habent plus sanguinis quàm		Profluvia sistit	153
viri	17	Tussim sedat	ib.
Mulierum textura mollior	15	Pruritus ciet	ib.
Mulieres sanæ in eodem statu		Menses & lochia provocat	ib. 159
permanent	13	Dyspnœam, & stuporem in-	
Mulieres citiùs adolefcunt		fert	ib.
quam viri	17	Somnum conciliat	153
Menstruis cessantibus pin-		Pupillam dilatat	154
guescunt	53	Ischuriam inducit, & pa-	
		rallysin	ib.
N			Opii
Narium Hæmorrhagia à vino	34		

INDEX RERUM.

- | | |
|--|--|
| <p>Opium quomodo sanguinem
 increassare dicatur 158
 Sanguinem attenuat 151,
 152, 158
 Sudorem movet ib.
 153, 159
 Opii operatio primaria 152
 Effectus 152, 153, 154
 Quomodo omnes ab at-
 tenuatrice vi oriantur
 ib.
 Otiosa vita quid faciat 17,
 44, 50</p> <p style="text-align: center;">P</p> <p>Placenta in utero per bienni-
 um retenta 142
 Quomodo exclusa ib.
 Partus menses retardat 64
 Pallor à lentore 79, 130
 A fluxu nimio 139
 A defectu sanguinis ib.
 Palpitatio cordis quomodo fit
 84
 A suppressis mensibus
 ib.
 In quibus morbis fre-
 quentior 85
 Periodi ab authoribus parum
 explicatae 37
 Et quare 42
 Quomodo à Plethorâ
 pendent 37, 38, 42
 Quare ad definitum tem-
 pus redeunt 39, 41
 Aliarum rerum explican-
 tur 40, 41
 Quare variæ in diversis
 fœminis 43
 Discrepant pro ratione ætatis
 46
 Victus 44, 46
 Temperamenti 43
 Soli ib.
 Periodus mensium bimestris
 118</p> | <p>Perspiratio in fœminis quare
 minor 15, 16, 17
 Differt à sudore 18
 Exercitio promovetur 17
 A sudore minuitur 18
 Plethora in fœminis demon-
 stratur 13, 14
 Quomodo accumulatur
 12, 13
 Non accumulatur in bru-
 tis 14
 Quomodo accumuletur
 37, 38
 Plethoræ causæ tres 15, 16, 17
 Origo 51
 Plethora quomodo menses
 moveat 22, &c.
 Contra Charletonum de-
 fenditur 30
 Non potest menses sup-
 primere 32, 33, 105
 Regit periodos 44
 In provectoribus deficit
 51
 Excitatur iis omnibus,
 quæ menses cient 62
 Plethora ad vasa à rarefactio-
 ne 62
 Plethoræ effectus 68
 Periculum 69
 Plethora lentoris causa 70
 Qualem pulsum efficiat 69
 Plethora ad vires à suppressis
 mensibus 80
 Podagra à suppressis mensibus
 76
 Potatio ciet menses 60
 Prægnantibus deficiunt menses
 3
 Phthisis à suppressis mensibus
 83
 Pudendi situs in fœminis 20
 Quid ad menses faciat
 26
 Pulsus plenus & imbecillis ve-
 næ sectionem indicat 100
 Post purgationem fortior
 108
 In</p> |
|--|--|

INDEX RERUM.

bus secanda	102	Suffocatio à suppressis mensi-	
Quando	ib.	bus	91
Quarto	102, 103, 104	A mensibus nimis	131
Sapor acris quid indicet	158	Suppressionis menstruæ symp-	
Acidus quid	157	tomata	67
Secretiones in ratione veloci-		Curatio	95
tatis & orificii	16	Suppressio vel à vasorum vel	
Quomodo à velocitate		à sanguinis vitio	68
pendet	131	Quando à vasis	ib.
Sincipitis dolor à suppressis		A lentore	71, 73
mensibus	85	Quænam morbosa	95
Symptomata instante fluxu		Quomodo à vasorum vi-	
mensium	2	tuo	96
A plethorâ deducuntur		A vasis curatu facilior	
	47		97
Mensium suppressorum	67	Suppressorum mensium histo-	
Quænam à plethorâ	68	riæ	110
Quænam à lentore	72	Suppressio à frigore	116
Varia in diversis mensibus		A venæ sectione	120
	94		
Fluxus nimii	128	-T	
Syncope a suppressis mensibus		Temperamentum humidum	
	85	perspirationi officit	17
Quot modis fit	85	A partium mollitie	16
A fluxu nimio	129	Theeæ potu menses imminuti	
Solidæ partes exhaustæ diffi-		Tincturæ spiritu vini extra-	
culter refarciuntur	128	ctæ quid faciant	164
Sphincter vesicæ ischuriam		Tinctura antiphthifica ad	
adjuvat	33	menses nimios prodest	141
In ischuriâ contractus	ib.	Tumores à suppressis mensi-	
Spiritus vini sanguinem coa-		bus	76
gulat	164, 168	Etiam & tubercula	77
Quomodo menses ciet		In humidis citius fiunt	
	164		ib.
Quando in suppressis men-		Tumor in tibiâ à suppressis	
sibus adhibenda	165	mensibus	116
Spiritus quomodo instauran-		Tumores à mensibus nimis	
tur	156		132
Spinæ dolor à suppressis men-		Tussis à suppressis mensibus	
sibus	74		81
Variolarum imminenti-		A glandulis tracheæ	ib.
um signum	75		
Sternutatio ciet menses	61	U	
Stomachica menses ciet	159	Ulcera, subito siccata, peri-	
Sublimat. corrosivi experi-		culosa	57
mentum	179	Urinæ stillicidium à suppressis	
Suffitus ad suppressos menses			men-
	96		

INDEX RERUM

mensibus 92	A venæ sectione 98
Suppressio quot modis ib	Victus incrassans quomodo
Urinosa menses cient 158	menses retardat 65
Urticæ succus quomodo narium hæmorrhagiam sistit 136	Acris ciet 61
Uteri structura 20	Venæ sectio ad suppressos menses 98, 99
Quid ad menses ibi evacuandos conferat 23, 24, 25	Quo tempora instituenda 98, 100, 102, 106
Uteri arteriæ & venæ per anastomosis conjunctæ 20	Quo loco 98, 102
Uteri & vaginæ interna tunica qualis ib.	Quare in talo 102
Uteri inflammatio quomodo à suppressis mensibus 74	Velocitatem sanguinis intendit 98
Gangræna ib.	Et quare ib. 100, 101
V	
Varices à suppressis mensibus 75	Venæ sectionis indicatio 100
Quomodo formentur 76	Venæ sectio vix præmitti debet 100, 106
Quare ad partes inferiores ib.	Venæ sectio menses immittit 54, 56
Solvunt insaniam 90	Abortum præcavet 54
Variolæ cient menses 59	Venis uterinis desunt valvulæ 21
Vasorum umbilicalium & uterinorum anastomosis 56	Ventris tumor instante fluxu 50
Vasa uteri in virginibus angustiora 93	Ventriculi inflatio, & tormina à suppressis mensibus 78
Et quare ib.	Vertigo a suppressis mensibus 87
Vasa uteri contorta 20	Vertiginis ratio explicatur ib.
Quomodo mensibus evacuandis inserviunt 23, 24, 25	Virgines mensibus nimis rarius laborant
Valvularum usus 27	Vires imbecilles quomodo perspirationem imminuunt 15, 16
Defectus in utero quid faciat 28	Quomodo accumulante Plethoram 16
Vasa uterina quare facilius rumpantur 22, 23	Virium imbecillitas à plethorâ 80
Relaxanda in suppressione menstruâ 96	Grave efficit corpus ib.
Vasorum tumor & pulsatio à plethorâ 68	A nimio fluxu mensium 128
Velocitas sanguinis augetur in plethorâ 22	Quomodo crescit ib.
Est in ratione copię 68	Quare ab evacuationibus magnis 129
	Fluxus nimii regula 134
	Vires quomodo post fluxum cohibitum instaurandæ 139
	Viraginum pulsus fortior 19

INDEX RERUM.

Viragines mensibus immunes	18	etâ evacuatione sanguinis periodicâ	58
Virgines suppressioni maximè obnoxia 66 & hæmorrhagiæ à suppressione	93	Vitrioli spiritus quomodo hæmorrhagiam sistit	136
Viri habent menstruam evacuationem 41. & quare	42	Vomica pulmonum quid	82
Ante crisin quomodo affecti	50	Quomodo à suppressis mensibus	16
Hysterici evadunt, restricti		In glandulis bronchiorum	
		Vomitus ciet menses	61
		Sanguinis menses nimios sistit	137

F I N I S.



*Catalogus Librorum prostantium apud
Gul. & Joh. Innys.*

Hippocratis de Morbis Popularibus Liber primus & tertius Gr. Lat. His accommodavit novem de Febribus commentarios *Joannes Friend*, M. D. Coll. Med. Londin. & Societatis Reg. Socius, 4to. & 8vo. 1717.

Johannis Friend, M. D. de Purgantibus in secundâ Variolarum confluentium Febre, adhibendis Epistola 4to. 1719.

De Curandis Febribus continuis, liber, in quatuor divisus sectiones; quarum singulæ singulorum Morbi Temporum, quæ totidem quoque sunt numero, Remedia continent. Authore *Fodoco Lommo*. 8vo. 1718.

Sanctorii Sanctorii de Staticâ Medicinâ Aphorismorum Sectiones septem cum Commentario *Martini Lister*, 12mo. 1714.

Pharmacopœia Extemporanea, sive Præscriptorum Chilias, in quâ Remediorum elegantium & efficacium Paradigmata, ad omnes fere medendi Intentiones accommodata candidè proponuntur; unâ cum viribus, Operandi ratione, Dosibus & Indicibus annexis. Editio quinta longè auctior & emendatior, per *Tho. Fuller*, M. D. Cant. 12mo. 1714.

Pharmacopœia Extemporanea: Or a Body of Medicines, containing a thousand select Precepts answering most Intentions of Cure; to which are added useful *Scholia*, a Catalogue of Remedies, and a copious Index for the Assistance of young Physicians; the third Edition, with large Additions by the Author *Tho. Fuller*, M. D. 8vo. 1719.

Phthisiologia: or a Treatise of Consumptions, wherein the Difference, Causes, Signs, and Cure of all sorts of Consumptions are explain'd. By *Richard Morton*, M. D. the second Edition 8vo. 1720.

Gault. Harris, M. D. de Morbis acutis Infantum. Editio tertia auctior. 8vo. 1720.

Processus integri in morbis fere omnibus curandis, nec non de Phthisi Tractatulus, Editio quarta à *Tho. Sydenham*, M. D. 12mo. 1712.

Pharmacopœia Colleg. Reg. Londini Remedia omnia succinctè descripta, Editio quarta, per *J. Shipton*. 12mo. 1711.

Tractatus de Fœtu Nutrito: or a Discourse concerning the Nutrition of the Fœtus in the Womb, demonstrated to be by Ways hitherto unknown; in which is likewise discover'd the use of the Gland Thymus; with an Appendix, being some practical Observations on the Food of Children newly born,

Catalogus Librorum prostantium apud G. & J. Innys.

born, and the Management of the Milk of Women. By *F. Bellinger* of the College of Physicians.

The Symptoms, Nature, Cause, and Cure of a Gonorrhœa. The third Edition with Additions. By *W. Cockburn*, M. D. Fellow of the Royal Society and College of Physicians. 8vo. 1719.

Pharmacopœia Bateana, in Libros duos digesta. Primo Compositiones Galenicæ, altero Processus Chymici: Ordine Alphabetico exarantur: Viribus Dosisque illustrantur: Atque Catalogis & Indicibus accommodantur. Cura & Opera *Thoma Fuller*, M. D. Cantab. 12mo. 1719.


Anthropologia Nova: Or a new System of Anatomy, describing the Animal Oeconomy, and a short rationale of many Distempers incident to human Bodies. Illustrated with above fourscore Figures, drawn after the Life by *James Drake*, M. D. late Fellow of the College of Physicians and Royal Society. The second Edition in 2 Vol. 8vo.

A Treatise of the Asthma in four Parts, containing 1. A History of the Fits, and the Symptoms preceding them. 2. The Cacochymia which disposes to the Fit, and the Rarefaction of the Spirits which produces it. 3. The accidental Causes of the Fit, and the Cure of the Asthmas are observ'd. 4. The Cure of the Asthma Fit, and the Method of preventing it is proposed, &c. By *Sir John Floyer* of *Litchfield*, Kt. The second Edition corrected, 8vo. 1717.

Specimen Physico-medicum, de corpore humano, & ejus morbis; or an Essay concerning the Knowledge and Cure of most Diseases afflicting human Bodies; to which is annex'd a short Account of Salivation and the use of Mercury. By *P. Paxton*, M. D. 8vo.

Praxis Medica. The Practice of Physic: Or *Dr. Sydenham's Processus Integri*, translated out of *Latin* into *English*, with large Annotations, Animadversions, and practical Observations on the same. Containing the Names, Places, Signs, Causes, Prognostics, and Cures of all the most usual and popular Diseases afflicting the Bodies of human Kind, according to the most approved Modes of Practice. Among which you have the Pathology, and various Methods of curing a Clap, or virulent running of the Reins and the *French Pox*, with all their Symptoms, beyond whatever was yet published on this Subject, by any other Author, Ancient or Modern, since the Diseases first appear'd in the World to this Day. The third Edition, enlarged throughout with some thousands of Additions not in the first Impression. By *W. Salmon*, M. D. 8vo. 1716.





197

